



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Disputatio XVI. De natura & perfectionibus Angelorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

DISPUTATIO XVI.

De natura, & perfectionibus Angelorum.

QVÆSTIO I.

Utrum demonstretur possibilem esse Angelum, & actualiter existere?

SECTIO PRIMA.

Sententia aduersaria ponitur.

P R I M A sententia docet demonstrationem à priori ostendi posse Angelos esse de facto; ita Bannez 1. parte. Zúmel & pene omnes Thomistæ; P. Suarez tomo 2. metaphys. disputat. 35. sect. 2. num. 5. cum aliis, qui omnes conantur pro viribus D. Thomæ rationem, quæ hoc loco Angelos esse probat, demonstrationem esse conuincere, efficacissimam pro materiæ capacitate vocat Suarez, n. 5. ad finem.

Probatur primo hæc sententia, quia vniuersum à Deo conditum debet vltimam suam perfectionem consequi, quæ in eo sita est, vt ad suum principium Deum scilicet, à quo prodit, redeat, non autem redire potest, nisi principij sui in se similitudinem gerat in natura & esse, in quibus quandam habet perfectionem, vt & omnes effectus nunc maxime perfecti sunt, quando maxime agentis causæ assimilantur, est autem diuinus intellectus causa vniuersi: ergo necesse est vt in illo, ad eius perfectionem aliquæ intellectuales creaturæ sint, quales sunt Angeli.

Confirmatur, quia ad perfectionem vniuersi pertinet, vt in eo esset gradus substantiarum immaterialium; quas Angelos dicimus: sed Deus condidit vniuersum perfectum: ergo sunt in eo huiusmodi substantiæ. Maior probatur; quoniam ad perfectionem effectus pertinet vt sit perfecte similis causæ: ergo ad perfectionem vniuersi spectat vt sit simile Deo quoad fieri possit; cum ergo Deus sit substantia immaterialis, & intellectuales ad perfectionem vniuersi spectat, vt sit simile Deo, vt in eo sint substantiæ immateriales, & intellectuales; ratione quarum sit simile Deo secundum hunc gradum; minor vero per se, & ex terminis videtur, aut vera aut valde verisimilis; tum quia à perfecta causâ, & summe bonâ, quæ nulli invidet, & potentissima, quæ à nemine impediri potest, non debuit effectus prodire, nisi perfectus; tum etiam quia Deus in condendo vniuerso intendit & communicationem suæ bonitatis, & suæ perfectionis manifestationem, ideoque condidit vniuersum ex variis rerum gradibus & ordinibus constans, quia nullus per se sufficiebat ad finem, quem in rerum conditione, & vniuersi perfectione Deus intendebat: ergo debuit vniuersum constare ex hoc ordine rerum, qui maxime ad perfectionem eius & ad finem prædictum conferre poterat.

Secundo sic probatur, Deus à sua bonitate tantum motus est ad mundi effectum, cui eam

I. P. Tom. II.

communicauit secundum modum assimilationis ad ipsummet Deum; similitudo autem vniuersi inuenitur in altero, vel quantum ad esse naturæ, vel quantum ad cognitionem: ergo ad hoc vt similitudo Dei perfecte esset in rebus modis possibili- bus, oportuit vt diuina voluntas rebus per similitudinem communicaretur, non solum in essendo, sed etiam in cognoscendo; cognoscere autem diuinam bonitatem sola intellectualis creatura potest: oportuit ergo hanc esse.

Vltimo sic probatur, quia Deus continet omnes creaturas simplici modo, absque vlla quantitatiua extensione: ergo ad perfectionem vniuersi oportuit; vt Deum hac etiam ratione illud imitaretur, essentque in illo creaturæ intellectuales, Angeli scilicet, qui cognitione continerent res absque vlla quantitatiua extensione.

Secunda sententia est eorum, qui afferunt euidenter à posteriori ostendi posse Angelos esse, ita Lactantius diuinarum institutionum, libro 2. P. Molina 1. p. ar. 2. P. Valquez 1. p. disput. 178. cap. 1. num. 3. qui duo tantum hoc modo Angelos esse demonstrari posse aiunt: primo probatur hæc sententia à Peripateticis ratiocinatione illa satis vulgari ex cæli motu desumpta, qui cum neque ab ipso cælo sit, vt pote inanimi, nec à sola prima causâ, cum alienum hoc ab eius maiestate & communi prouidentia videatur, nec à mortalium aliquo, vt patet ex terminis; superest igitur vt à substantia creata nobiliori creata sit: sed hæc non potest esse alia, nisi Angelus: ergo de facto Angelus datur.

Secundum argumentum est, quo vtuntur Valquez & Molina; & in hunc modum efformatur, experimento constat, operationes esse aliquas, & effecta omnem nostram superantia facultatem; oracula item, quibus vel absentia, vel futura impossibilia sciunt mortalibus; quæ omnia principia alicuius operantis munera esse debent, non autem alicuius alterius, nisi Angeli: ergo dantur illi. Maior est nota, & minor patet, quia thagiceis carminibus euocatur principium horum effectuum operatiuum; certum autem est Deum incantationibus non trahi. Præterea sæpe talium effectuum principium in malum culpæ dirigit, & operatur illud, quod in Deum cadere non potest, cumque illa mira effecta humanas superent vires, reliquum est vt à præstantiori substantia sint, quam Angelum dicimus.

Confirmatur, quia sunt Energumeni, seu arreptitij, quos obsideri, & agi à virtutibus non informantibus: sed assitibus cernimus; loquuntur mira, respondent interrogati quæ humana diligentia nequeunt sciri, commouentur, exagitantur citissime adeo, vt nulli esse dubium possit euenire illa omnia à superiori principio, superanteque vires humanas.

Nec ad primam confugere causam possumus, quasi ab illa tantum moueantur, quandoquidem causa illa mouens energumenos, & arrepticios multa proferat indigna Deo. Deinde cum ab alio effici prædicta omnia queant, frustra in causam primam tantum hæc conuicimus, præsertim cum arreptitij medicamentis, & musca pro aliquo saltem breui temporis spatio interdum sanentur, non certe alia causâ, nisi qua Dæmon torquere illos nequit; quod facit prauos illorum commouendo humores, quibus si non vteretur, neque eos vexare posset, nec multa miranda in eis operari. At si Deus solus ea efficeret humoribus corporum non egeret, ac proinde nec medicina, nec alio corporeo remedio eius effectus impediretur.

SECTIO

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur.

10 **P**rima conclusio: possibilitas Angeli evidenter demonstrari potest, sic omnes Theologi, & melioris notæ Philosophi; hæc conclusio probatur primo argumento, quo vsi sumus *disput. 1. metaphys.* quæstione in qua agitur de subiecto illius.

11 Secundo sic probatur: In anima rationali est inchoatus, & incompletus ordo immaterialium substantiarum: ergo possibile est talem ordinem compleri producendo substantias aliquas immateriales completas, quia quo perfectior est gradus perfectiorem statum ex sua natura petit, qui possibilis est illi, & sine vlla repugnantia potest produci à Deo, verbi gratia, quia gradus substantiæ est perfectus, & datur substantia incompleta, possibilis est substantia completa, in qua compleatur gradus substantiæ, qui in incompleta est inchoatus; vnde qui concederet substantias incópletas, & negaret completas, sine dubio conuinceretur tum petendo ab illo repugnantiam contradictionis, tum etiam ratione facta, quia perfectus gradus petit perfectum statum; atqui substantia spiritalis est perfectus gradus entis: ergo perfectum statum petit sibi proportionatum sine vlla repugnantia; sed quatenus existit in animo rationali est in statu imperfecto, vt pote incompleto: ergo sine vlla repugnantia potest constitui in statu completo, producendo substantiam completam spiritualement.

12 Declaratur amplius, quia gradus completus in Deo est participabilis à creatura, & de facto participatur ab homine, leone, lapide, &c. quæ sunt substantiæ completæ: ergo sine vlla repugnantia potest participari à perfectiori gradu, scilicet à substantia spiritali, quia quo substantia est perfectior, & similior Deo, eo petit maiorem perfectionem in existendo: atqui existentia entis completi perfectior est, quam incompleti: ergo substantia spiritalis, quæ perfectior est substantia corporea, petit existentiam perfectiorem, qualis est completa.

13 Confirmatur ex operatione intellectiōis, & volitionis, hæc enim consequitur ad immaterialitatem substantiæ; sicut autem anima rationalis substantia immaterialis incompleta est; ita operatio intelligendi est in illa quasi inchoata, & imperfecta, & admixta inferioribus aliis operationibus, à quibus aliquomodo pendet, vel originem ducit: ergo non repugnabit dari substantiam creatam, in qua illa operatio intelligendi sit perfectior, & abstractior à consortio corporis, & veluti completa in ordine suo & adæquata eiusmodi substantiæ; illa vero substantia, quæ talem habuerit operationem, necessario esse debet completa, & immaterialis. Theologica etiam ratione sic potest hæc veritas probari, datur supernaturalis operatio creata omnino spiritalis, & omnino independens à corporea re: ergo possibile est subiectum aliquod, & aliquod operans correspondens illi actioni omnino spiritali, & independens à corpore; quod etiam sit completum ens: atqui hoc esset Angelus, vt ex terminis patet: ergo hic est possibilis, maior in Theologia est nota, quoniam datur visio beatifica, quæ omnino spiritalis est, nulla ratione pendens à re corporea: reliqua facile ostenduntur;

nam si accidens quod propter substantiam est maxime completum spirituale omnino esse potest; poterit etiam esse substantia completa spiritalis omnino.

Præterea, operatio est suppositi: ergo si datur pure spiritalis operatio omnino independens à ratione corporea, suppositum respiciet & illi proportionatum, quod sit totaliter spirituale, & independens à re corporea: ergo tale suppositum erit possibile, quia ordo transcendentalis non respicit impossibilia.

Secunda conclusio à priori ostendi non potest demonstratione philosophica vel metaphysica, esse de facto Angelos, seu immateriales substantias homine perfectiores, sic multi Theologi, & Philosophi, & probatur facile, quia actualis existentia Angeli non solum pendet ex possibilitate ipsius, sed etiam ex libera Dei voluntate, quæ decreuerit illum condere; vnde licet primum euidens sit, posterius naturæ lumine ostendi non potest: ergo nec Angelum de facto esse; maior & prior pars minoris sunt evidentes; consequentia legitima est; posterior pars minoris probatur; quia decretum liberum diuinæ voluntatis à priori ostendi non potest; quia nulla est causa, vel motiuum, quod diuinam voluntatem necessitet ad tale decretum habendum: ergo nullo modo ostendi potest à priori habuisse Deum actum, seu decretum liberum, quo statuerit Angelum de facto producere.

Dices, demonstrationem, qua ostendi potest, Angelum de facto existere, non esse à priori omnino, & simpliciter, sed supposito aliquo libero Dei effectu, scilicet vniuerso ab ipso Deo condito colligi ex motiuo, quo inductus est Deus ad productionem illius, & ex natura talis effectus; ex attributis diuinis, & rationibus, quas ipse Deus obseruare debet, vt res, quas producere statuit, digne, atque vt ipsum deest, producat. Ex his inquam omnibus colligi euidenter statuitur etiam Angelum de facto creare, fuisse autem hoc motiuum ipsius Dei manifestationem, laudem, & gloriam passim scriptura testatur, vniuersam vero naturam postulare absolutam sui, & integram, atque omnimodam perfectionem, qua si careret in sui conditione, aut permanentia, non esset iuxta id, quod suapte natura exigit; vt non esset homo iuxta id, quod postulat eius natura, si crearetur absque manibus à Deo; vnde nec factum fuisset vniuersum digne, & conuenienter secundum id, quod ipsius attributa postulant: quare vt iuxta id fiat, creari debet cum prædicta perfectione quæ consistit in hoc, vt nullus gradus essendi illi desit, deesset autem illi vnus, magnæ quidem perfectionis, si deesset illi gradus substantiæ spiritalis puræ, qualis est Angelus, qui plusquam cætera omnia creata Deum manifestat & ad eiusdem laudem, & gloriam conducit.

Sed contra, nam perfectio vniuersi, qua ens per accidens est, non debet ita accipi, ac si essentialiter postulet, vt perfectio eiusmodi sit adesse illi omnem essendi gradum; quo pacto essentialis est homini perfectio rationalitatis, vt essentialiter perfectus in esse hominis existat; alias diuerter perfectus esset ex hoc vniuersum quocumque illi gradu essendi detracto, vel deficiente: vnde fieret in prima sui conditione per quinque priores diuersum fuisse essentialiter ab eo, quod incepit esse die sexto, quandoquidem illis quinque prioribus deficit ei gradus rei compositæ ex corpore, & animo spiritali.

Nec

Quaest. I. An dem. possibilem esse Ang. & c. 115

18 Nec valet dicere totum, quod quinque prioribus diebus fuit in ordine ad totum, quod futurum erat in sexto, fuisse; unde extitisse tantum inchoatum perficiendum sexto die, quemadmodum non est diuersus essentialiter homo infans perficiendus in adolescentia.

Quoniam hinc sequitur vniuersum primis quinque diebus essentialiter non fuisse, sed inchoationem illius tantum; nam si gradus essendi aduenturus sexto die essentialis erat vniuerso, sine dubio ante aduentum talis gradus non erat essentialiter vniuersum; sicut quando solum adest corpus, essentialiter homo non est, quia perfectio animi homini essentialis deest; quod si quinque illis primis diebus idem vniuersum essentialiter erat, cum eo quod fuit sexto; manifeste perfectio sexto die adueniens, non est illi essentialis, sed accidentaria prorsus: non ergo essentialiter postulat vniuersum vt tale omnem gradum essendi intra ipsum contineri; neque natura sua omnem illum postulat orbis, nec si aliquis desit, erit contra essentiam vniuersi: quia cum sit ens per accidehs, vt supra dixi, non habet determinatam naturam & essentiam, vt videre est in republica, exercitu, &c.

19 Dices postulare omnem gradum accidentarie, eo modo; quo postulat homo partes integrales, & proprias passionis, sine quibus si crearetur à Deo, imperfectus crearetur; nec secundum id, quod natura humana postulat, quare si vniuersum absque tot rerum gradibus, quor nunc habet factum fuisset adeo certe productum fuisset, non iuxta id, quod illius exigit natura.

20 Sed contrarium manifeste, quia infiniti possibiles sunt gradus distincti ab his, qui de facto dantur; quod ipsi aduersarij concedunt, & euidenti demonstratione patet à paritate rationis inter species, genera, & indiuidua; nulla enim maior ratio datur, cur intra eandem speciem dentur infinita indiuidua possibilia, & intra genus infinitae species, possibiles; & intra substantiam infinita genera substantiarum, & non dentur infiniti gradus entium intra eas vt sic, & ratio à priori est, quia gradus entis sunt obiecta omnipotentiae; quare quia infinita in esse potentiae est, petit infinitos gradus entis tanquam obiectum: ergo si vniuersum petit omnem gradum possibilem actu existentem cum ipso vniuerso; ex quo colligitur, dari actu Angelos si consequenter loquamini, dicendum est vobis actu dari infinitos gradus entium in vniuerso; quia per vos vniuersum petit omnes gradus essendi; sed omnes gradus essendi sunt infiniti: ergo petit infinitos gradus essendi; sed per vos infiniti gradus essendi sunt impossibiles quoad actualem existentiam, id est, est impossibile quod actu existant infinitae: ergo per vos impossibile debet esse, vt actu existant omnes gradus essendi: ergo impossibile est omnino vt vniuersum petat ex natura sua omnem gradum essendi; imò ex vestra solutione sequitur, vniuersum ex natura sua petere gradum supernaturalem gratiae, gloriae, & vniouis hypostaticae, quod etiam ab aduersariis concedatur, concedi tamen non potest, quia fieret naturale suapte natura petere, vt sibi debitum, quod est supernaturale; unde non esset supra illius naturam, & consequenter non esset supernaturale; & sic gratia iam non esset gratia, quia iam esset debita alicui naturae specificae, vel genericae; quanquam nulli esset indiuiduo debita; quia gratia est omnino indebita naturae vt

I. P. Tom. II.

sic; probatur sequela illa praecipua, quia hoc vniuersum vt constat rebus naturalibus, non est completum, & perfectum in ratione vniuersi, nisi adiungatur illi gradus supernaturalis, & ex alio capite, si Deus creaturus est illud iuxta naturae illius exigentiam, debet illud creare perfectum: ergo cum rebus supernaturalibus, gratiae, gloriae, & reliquorum; ergo debetur talium rerum supernaturalium productio vniuersae naturae: ergo est debita gratia vniuersae naturae: ergo est debita illa alicui naturae, vniuersi scilicet; at non secundum omnem creaturam, quae in illo est: ergo secundum rationis capacem, quia haec sola gratiae capax est: ergo huic naturae, quae generica est, debetur gratia, ac proinde non est indebita naturae, & indiuiduo: ergo nullo modo est gratia.

Dicetur deberi vniuerso, vt constanti naturali, & supernaturali rerum ordine, atque vt constat posteriori deberi gratiam, quod mirum non est, quandoquidem posita re supernaturali non est contra naturam gratiae, vt haec illi debeatur; sicut non est contra naturam gloriae, quae gratia consummata est, deberi homini supposita in illo gratia.

Sed contra, quia hic non est quaestio ex suppositione, id est posito quod vniuersum consideratur vt aggregatum ex omni entis gradu; nam in hoc sensu nulla poterat esse dubitatio; unde si ex suppositione huius argumentum formatur, supponitur quod erat probandum. Vnde enim constat postulari à Deo, aut debere Deum si condere vult vniuersum aliquod, condere id, quod vniuersalissimum est, vt ita dicam, & non posse nisi agendo contra naturas rerum, condere vnum vniuersum; quod ideo vniuersum sit, & ita dicatur, quia continet omnem gradum entis naturalis, &c. unde vt aduersariorum responsio aliquid valeat, hoc modo argumentum formandum, est; hoc vniuersum vt in ratione vniuersi perfectum sit, postulat omnem gradum entis, quatenus naturale vniuersum omnibus numeris absolutum existit; sed ordo supernaturalium est entium gradus: ergo postulatur ad hoc vniuerso.

Contra quam consequentiam militat omnia de gratia posita, & praeterea falsum est, vniuersum in ratione vniuersi omnem gradum entis postulare; sed tantum multos, & omnes necessarios, atque sufficientes in ordine ad finem condentis vniuersum; unde distingui potest vniuersum in bonum, melius, & optimum, seu in absolutum, absolutius, & absolutissimum: ita vt hoc postremum omnem gradum entis possibilis contineat, verum vt dixi, nulla est ratio conuincens, deberi Deum hoc producere, si vniuersum efficere velit; nam illa, quae afferri possunt de optimo à Deo in vnoquoque genere amando, idque necessitate quadam morali, & falsa sunt & in materia de praedestinatione à me late explosa manent: satis ergo erit, si Deus volens condere vniuersum, condat id, quod omnium rerum naturalium gradu consistit, aut illis omnibus duntaxat, qui necessarij sunt ad finem, quem ipse conditor voluerit comparare; qua ratione imperfectum non erit tale vniuersum, etiam si aliqui rerum gradus illi desint; unde neque erit factum in statu naturae ipsius aut repugnante, aut minus conueniente.

24 Alias fatendum necessario erit post Iudicij diem, aut non esse futurum vniuersum, aut imperfectum esse, in statuque ipsius naturae repugnante,

repugnante, cum defuturus illi sit gradus omnium mixtorum inanimatorum, qui & magnus est, & multa & varia genera comprehendit; quoniam ad finem intentum à Deo non conducunt post illum diem præfata mixta; atque ut tunc ridicula esset argumentatio, qua quis putaret se ostendere mixta esse actu; quia vniuersum omnem gradum entium debet comprehendere, ut sit perfectum, & iuxta ipsius naturam; ita & nunc debile argumentum formabitur ad probandum esse Angelos actu ex vniuersi perfectione, atque natura; quoniam responsio ad manum est; vniuersum nimirum tantum ea omnia postulare, quæ necessaria sunt ad finem consequendum à suo conditore intentum; & quanquam huius scopus fuerit propria manifestatio, laus, & honor, cum hæc omnia sufficienter comparentur creato in vniuerso homine, à quo præfata possunt provenire, non est cur ex conditoris sine necessario debeat deduci Angelorum creatio; quoniam etsi præstantius omnia dicta per angelicam naturam acquirantur à creatore, non tamen necessitate aliqua mouetur, aut debet præstantius creari; vnde ipsius libertati relinquitur locus, & consequenter desit iam ut necessarium principium ex duobus, quæ requiruntur ad demonstrationem, qua esse Angelos conuinci debet.

25 Confirmari hæc poterant ex ipso vniuerso ut nunc est, in quo non omnia elementa naturalem ipsis locum occupant, ut ipsi aduersarij docent; cum aqua infra terram discooperatam sit, quæ natura sua postulabat esse supra, ideoque tota terra sua etiam natura exigebat esse sub tota aqua; non tamen quod aliter contingat absolute imperfectum nunc esse vniuersum, eo quod ad finem intentum à conditore sic debeant elementa esse; ergo eadem ratione poruit eum finem sibi præscribere conditor, ad quem conduceret Angelos non esse, nimirum ut ostenderet liberam sibi esse illorum creationem, neque pendere ipsum, aut egere gloria & honore, quibus ab Angelis afficiendus esset, quod satis est ut ostendi non possit ex fine creatoris argumento desumpto; Angelos de facto esse licet possibiles esse euidenter demonstraretur ut supra diximus. Nam causa efficiens ex sua natura petit assimilare effectum suum sibi, vnde quo effectus similior causæ, eo aptior est, ut ab illa possit produci; cum ergo Deus sit prima causa omnium, & ipse sit substantia spiritualis completa, possibilis quodammodo, & tali causæ magis consentaneum est, ut ab illa prodeant immateriales substantiæ completæ, quam materiales, & immateriales incompletæ.

26 Vnde quidam Philosophi opinari sunt, materiam primam propter suam imperfectionem, & dissimilitudinem, quam cum Deo habet, utpote pura potentia cum puro actu, non esse à Deo, in quo quidem decepti sunt, in eo tamen quandam veritatem adumbrarunt, quod substantia creata quo actualior, & immaterialior, eo est Deo similior; & ideo conformior diuinæ virtuti, & ex hac parte quodammodo possibilior; si tamen in hoc potest esse magis, & minus; & idem argumentum fit ad probandum, possibilis esse producere Angelum, quam spirituales substantiam incompletam, verbi gratia, animam rationalem; quia si illa, quæ minus perfecta est, potest esse immaterialis, multo magis poterit illa, quæ est perfectior.

27 Dices, id non inferri recte; quia substantia incompleta interdum simplicior est, quam comple-

ta, & ex hac parte potest esse immaterialior; nam etiam anima equi, licet materialis dicatur, quatenus pendet à materia, tamen re vera est minus materialis, quam equus; quia non constat intrinsece ex materia, sicut equus.

Respondetur hoc recte procedere, quando substantia incompleta comparatur ad completam, cuius est pars; nos autem non ita argumentamur; sed ex vna substantia incompleta talis ordinis, & perfectionis colligimus posse dari aliam in suo ordine completam, & quæ non sit pars alterius; in qua similis perfectio nobiliori modo inueniatur; atque hoc modo videtur ratiocinatio per se nota quia si illa perfectio non repugnat rei minus perfectæ, cur repugnabit ordini rerum perfectiorum?

§.

Tertia conclusio ponitur.

Esse Angelos à posteriori non potest demonstrari philosophica demonstratione aut metaphysica, sic Pater Valentia, & probatur facile; nam si aliqua demonstratio à posteriori esse posset, de hac re maxime illa desumpta ex Magorum effectis & arreptitiorum experimento; at illa nullo modo est demonstratio: ergo. Maior est nota, minor probatur, quia omnia illa effecta possunt esse ab aliis causis secundis & de facto nonnulla interdum sunt: ergo non conuincunt esse Angelos, qui illa operentur. Irobatur Antecedens; quia posse ab humanis animabus corpore solutis Dei permisso confirmant historiæ fide dignæ; exempli gratia in Iaponia nostro sæculo ita contigisse Patres Societatis Iesu scribunt; nam eati cuiusdam vita functi natus ingressa corpus ita crudeliter vexavit diu, ut & miserationem excitaret omnium & admirationi fuerit ipsis. Præterea Samuëlis animam se ab inferis euocasse credidit Pitonissa, & in Lucano Thessalia insignis saga Pompeij filij rogatu exitasse ab Orco putauit se occisi militis in prælio animam, & coegisse humanum cadaver ingredi, ut interrogatis responderet.

Quod si aliquis neget posse hominum defunctorum animas cationibus cieri magicis, demonstrandum illi est vnde constet id esse impossibile; nam si huius idcirco possibilitatem negat, quod eiusmodi animæ perpetuis additæ supplicis apud inferos nequeant inde huc vocare, & venire, perpendat ipsos etiam Demones eisdem cruciatibus manipatos esse, idque non obstat ut vocati veniant.

Et si responderit Dei permisso hoc contingere, superest ut ostendat idem permittere Deum non posse vita functorum animis, quod cum demonstrari non possit, fateri tenebitur, nullum esse illud à Magia peticum experimentum ad rem demonstrandam.

Vidit fortasse hoc Raphaël à Turre, secunda secunda, de magicis, & Lamiis disputans, & sic aliam excogitauit solutionem; ait enim mira, quæ perficiunt magi ab animabus istis fieri non posse; quoniam si cum proprium corpus informant, sic illud mouere, immutare non possunt; qua ratione cum assistunt duntaxat alieno, sic agere valebunt.

Sed friget ratio, nam cum virtus vnita sit fortior seipsa dispersa, & pluribus intentus minor sit ad singula sensus; anima vero, dum formæ officium præstat, & pluribus intenta sit, & illius virtus

Quaest. I. demon. possibilem esse Ang. &c. 117

virtus per multa veluti dispergatur; contra vero cum tantum affligit, & mouere corpus studet, vni tantum vacet minui, totaque quanta potest vis sit intentā illi, mirum non est, si ea possit efficere in corpore, quod vexat, quae dum informat, nequit.

34 Vltima conclusio: neque demonstratione morali, quae vera, & propria demonstratio sit, Angelos esse de facto potest ostendi, non enim tamen tota morali disciplina principium aliquod evidens est; vnde colligi demonstratiue queat esse de facto Angelos, illud enim, quo aliqui hoc euincere arbitrati sunt, nimirum tortores in quavis re publica esse debere, qui nocentes puniant, esse autem rem publicam humanum genus, & nocentes in illo, quos necessum sit in alia torqueri vita; quando culpis contaminati protervi ex hac discedunt vita, non sunt vero alij, qui carnicum exercere officium possint, nisi Dæmones, qui Angeli sunt: ergo sunt Angeli.

35 Hoc inquam argumentum nec demonstratio est, nec esse potest; nam quemadmodum in praesenti vita hominis, homo tortor est; ita & in alia animae anima potest esse diuinæ iustitiæ vindex; dixi vera, & propria demonstratione morali, Angelos esse ostendi non posse; nam in propria, & abusiua potest; est autem hæc quaecunque admodum probabilis ratio, vt est illa desumpta ex perfectione vniuersi à D. Thoma fabricata, propter quod illa vsi sumus nos libris de anima, ad probandum animam esse spirituales, illa præterea, quæ deprompta est ex Magia, aliisque experimentis, quibus omnibus prudenter humanus intellectus permoueri potest ad assentiendum, Angelos esse.

S.

Quid fide tenendum sit.

36 Dicendum est sine dubitatione, Angelos de facto esse; quod orthodoxa fides aperte docet, innumera enim sunt diuinarum literarum testimonia, quibus Angelos existere traditur discretissime; nam præter verba *Psalmi* 103. ibi [qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem] quem locum explicat D. Paulus ad *Hebraeos* 1. de Angelis, dum probat, illos esse inferiores filio Dei, quippe qui non vocantur à Deo filij, intellige per naturalem generationem, sed ministri; vnde paulo post reuocantur spiritus administratorij; quia propter sensus verborum est, qui spiritus, quos condidisti Angelos & nuncios tuos facis ministrosque agiles, & efficaces in exequendis mandatis tuis instar flammæ vrentis, & volantis; sunt etiam alia id ipsum significantia, v.g. verba *Psalmi* octauo, [minuisti eum paulominus ab Angelis:] quæ interpretatur idem Paulus ad *Hebraeos*, cap. 2. de iisdem spiritibus, in illis autem aperte asseritur, esse aliquas substantias hominis superiores, quales esse non possent nisi essent intellectuales. Præterea *Tobia*, cap. 12. eum Raphaël dixisset, se esse vnum de septem Angelis, qui stant ante Deum, dixit, se cibo inuisibili vti, quo dicto ablatus est à conspectu Tobiae; quibus verbis, & facto indicauit subtilitatem naturalem, propter quam eiusmodi substantiae dicuntur spiritus; idem aperte docuit Christus Dominus *Math.* 22. respondens Saducæis illis verbis [in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei,] &

alibi, dum dixit, [Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cælis;] decernitur hæc veritas in septima Synodo actione 5. & in Concilio Lateranensi capite Firmiter, & reliqua tam vnanimi consensu, vt superfluum sit illa referre.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluantur.

37 Ad primum argumentum respondetur, satis consequi omnia illa per vnam hominis naturam; hæc enim & ad suum principium, Deum nimirum, à quo prodit intellectus, & voluntatis actibus redit, & similitudinem exprimit in se, quia illius imago est secundum illud, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; de quo supra latissime; atque vti Deus per intellectum, & voluntatem operatur; quo pacto veluti scopum, & vltimum finem recta collimat per suos actus, vt dixi; sunt autem formæ intra hominem, id est ideæ, per quas operatur homo; quemadmodum etiam in Deo sunt; item media intellectione res sunt in homine, vti & sunt in Deo proportionaliter, & quemadmodum Deus à sua bonitate motus est ad creandum vniuersum, quam bonitatem ipse Deus cognoscit, ita & homo diuinam bonitatem percipit, & ab ea motus operatur; quæ omnia satis sunt, vt vniuersum assimiletur Authori suo Deo; & perfectum sit ea perfectione, quæ respondere possit fini, quem Deus pollet intendere; quamquam Angelos non creasset.

38 Ad confirmationem respondeo effectum à libera causa procedentem similem esse debere suæ causæ, iuxta finem honestum à causa intentum, nec posse maiorem similitudinem stante causâ, & effectus conditione deduci; quamvis illa sit possibilis, constat autem Deum esse causam liberam vniuersi, & potuisse finem aliquem intendere in vniuersi effectione, qui optime compararetur, ea tantum similitudine ipsius vniuersi ad Deum, quæ inueniri potest absque Angelorum creatione; quod vt clarius pateat, aduertendum est, vniuersum vt ex metaphysica constat, & Philosophia ens per accidens esse à decreto diuino in sui existentia pendens, nihil Deo boni, aut utilitatis intrinsece afferens, nullamque illi necessitatem imponens, qua teneatur seu constringatur, vt illud tot rebus constans pluribus, vel paucioribus constituat, aut conseruet; vnde quemadmodum omnino liberum fuit Deo statuere apud se vniuersi huius conditionem, & ipsam temporum initio eam exequi; ita omnino liberum fuit his, & non aliis rebus compositum efficere; atque ita faciendum fore à se decernere: quæ omnia cogunt ad asserendum, nullo modo posse rigorosissima demonstratione probari actu existere vniuersum; constat enim ex Dialectica *Post.* 1. demonstrationis vere, ac proprie principia necessaria protus esse debere aut simpliciter, aut ex suppositione; vnde communis demonstratorij syllogismi definitio constat illis particulis, necessariis, immediatis, &c. quod Aristoteles explicuit dicens [scire autem simpliciter, & non sophistico modo arbitramur vnumquodque, quando cognoscimus cognoscere per causam, & quoniam illius est causa, & quoniam non est contingens aliter euenire] quibus postremis verbis necessaria esse debere principia demonstrationis docuit, & quamquam verum sit non æqualem in omnibus necessitatem ad demonstrationem conficiendam postulari,

lari, ut neque eandem certitudinem, & claritatem ut vera & propria demonstratio sit quemadmodum ipsemet admonet Aristoteles; nihilominus vera, & non adumbrata necessitas, certitudo, & euidencia in principiis demonstrationis exigitur, ut huius illa vera principia sint, alias vera, & propria demonstratio non erit ratiocinatio, ut ex illis constat, sed ad summum probabilis, & sane in presenti de vera & propria demonstratione, qua esse Angelos conuincit possit mens, nobis est sermo non de apparenti aliqua ratione, aut probabili.

39 Neque satis erit respondere pro materiae capacitate, omnia hæc accipienda esse; nam si sensus sit quoad gradus maioris, vel minoris necessitatis, claritatis, & certitudinis, facile id dabimus, verum ad rem non erit, si de ipsa demonstrationis natura, & conditione agamus, quasi materiae aliqua sint in quibus satis ad veram demonstrationem censeretur necessitas quædam veluti apparens; neque postulari propria, & vera possit, alias multorum fidei catholicæ mysteriorum congruentias, & rationes probabiles veras esse dicemus demonstrationes; cum ad illa confirmanda, & illustranda convenientissima rationes excogitatae sint iuxta capacitatem materiae, præcipue cum urgentiores reddere impossibile omnino videatur in hac vita mortalibus.

Ad secundum argumentum, & ad reliqua patet ex dictis.

40 Ad primum primæ sententiæ argumentum respondent gravissimi Doctores demonstrationem non esse, quoniam in primis non est evidens, celos inanimatos esse. Denique ut manifestum hoc sit evidens, non est ab innata sibi non movere eos virtute, quæ illos suapte natura ferat in circulares motum, non propter se, sed propter universum, ut dicunt communiter Philosophi de lapide ascendente sursum, ne detur vacuum, hic enim ipsa impellente lapidea natura sursum attollitur, non propter se, sed propter totius universi bonum; quod vacuum non patitur; ne veto aliquis ad hanc impingat lapidem, & ex eo velit colligere cæli motum violentum fore, ut lapidis ille violentus est; ad hoc enim possemus respondere, illum motum non fore violentum, quia non est contra impetum naturæ ut est lapidis, qui est contra gravitatem; cæli enim nullam qualitatem haberent oppositam tali motui, sed potius qualitatem ingentem omnino proportionatam illi; eo quod cælum causa universalis sit omnium influxuum sublunaribus convenientium; aliud notius exemplum subiiciamus; fertur suapte natura in scrobem, aqua si terra declivis, non ut scrobis impleat vacuum, quando permeante aëre nihil in scrobe vacui est, sed quod naturæ institutio sic postulat ut quoties elementa coeant in vniuersi constructionem aqua inferiorem aëri locum sibi postulet; eadem affirmari posset ratione, celos in vniuersi structuram concurrentes, ut suapte natura postulant supremum omnibus occupare locum, ita & vendicare sibi ingentem perpetuum motum, non in sui commodum, sed in totius vniuersi utilitatem, cuius motus principium sit innata ipsius qualitas, ut motus aquæ ad locum inferiorem aëre, innata ipsi aquæ gravitas; cumque Aristoteles non demonstraret cælorum motum proxime à sola prima causa non procedere, nihil est quod nos cogat, & conuincat euidenter asserere, Angelos dari, qui celos moueant quamvis longe probabilius sit hoc munus demandatum fuisse intelligentiis, quod Patres Ecclesiæ docent,

& scriptura insinuat; illud enim quod innuere videtur, & aliqui certum putant omnino futile est, videlicet indiguum esse celos immediate à Deo moueri; nam qui hoc asserunt, videntur incidere in opinionem Philosophorum, docentium Deum non concurrere immediate cum causis secundis ad omnes illarum operationes, quod ut falsissimum, & periculosum in fide reieciimus in *Physicis*, & *tract. de Deo*, dum de concursu ipsius cum creaturis egimus. Cum autem verum sit, Deum immediate concurrere, nulla erit indecentia respectu ipsius in tali concursu. Neque in hoc quod Deus solus concurrat, potest aliquid inconueniens reperiri; cum Deus solus producat mures, angues, & alia id genus, quorum causam secundam non possumus assignare; certe enim cælestes illos orbes immediate, & solum à Deo cieri, nullum arguit absurdum, & incommodum, ut ex ipsis terminis patet.

QVÆSTIO II.

Primum Angeli solo numero differant, aut necessario sola specie.

SECTIO I.

Sententia aduersaria ponitur.

Prima sententia docet omnino implicare posse creati duos Angelos eiusdem speciei, ita aliqui ex Thomistis, ut Herbeus in 2. *dist.* 3. q. 2. art. 2. & alij; sed præcipue Caietanus in 1. p. D. Thom. q. 50. art. 4. & lapæ alij; latius tract. 3. opusculor. & tract. 7. de ente, & essentia, cap. 4. q. 9. attribuant hi Authores D. Thomæ hanc sententiam, quia videtur illis verbis, *Impossibile est*. Probatur 1. hæc sententia; quia sola materia est principium intrinsecum distinctionis numericæ; sed omnis Angelus possibilis caret materia: ergo nullus Angelus possibilis distinguitur solo numero ab alio.

Secundo sic probatur, quia essentia abstracta, & per se, ac absolute subsistens, non potest multiplicari numero, quia habet totam perfectionem suæ speciei: sed Angelus est forma abstracta, & per se subsistens: ergo.

SECTIO II.

Sententia ponitur.

Prima conclusio: bene potest Deus producere plures Angelos numero solo diuersos eiusdem speciei, sine ulla implicatione contradictionis.

Probatur primo, quia Deus in vnaquaque perfectione, in qua est participabilis à creatura est infinitus, & quæcunque creatura in quacunque perfectione participata est finita, & limitata, sed ratio individui in vna specie Angelis, & ipsa species est perfectio contenta in Deo, & est participabilis à creatura: ergo est infinita, & infinite participabilis: ergo unusquisque Angelus limitate, & finite, & non adæquate participat illam perfectionem contentam in Deo, unde Deus excedit in infinitum participabilitate vnamquamque creaturam participantem: ergo supposita participatione

Gabrielis

Quaest. II. An demon. possib. esse Ang. &c. 119

Gabrielis Angeli, tam in genere entis, & in genere substantiae spiritualis completae, quam in ratione individui; manet Deus amplius & amplius, participabilis in infinitum, ac proinde dabuntur possibiles non solum in ratione entis, & substantiae spiritualis, sed etiam in ratione individui intra speciem Gabrielis infinitae participationes, ac per consequens infinita dabuntur possibilia individua speciei Gabrielis, quae possint participare perfectionem individuum talis speciei.

4 Confirmatur, & declaratur amplius; quia ideo intra idem genus possunt multiplicari plures species Angelorum, quia talis perfectio continetur in Deo, & quatenus talis est infinita participabilis; unde nulla creatura quaecunque illa sit, potest sua participatione aequare participabilitatem Dei, quae infinita est; sed etiam ratio specifica Gabrielis est perfectio in Deo eminentissime contenta, ac proinde infinita suo modo: ergo non determinate, sed amplius, & amplius in infinitum est participabilis; ex alio capite Gabriel in quacunque ratione est finitus, quia creatura: ergo non adaequate participat illam perfectionem specificam: ergo illa specifica perfectio potest amplius, & amplius participari a diversis individuis contentis intra illam speciem, sicut ratio generica potest participari ab infinitis speciebus contentis intra idem genus: ergo possunt dari multa individua specificae, & essentialiter similia Gabrieli; sicut possunt dari infinitae species similes generice ipsi Gabrieli.

5 Vergetur, ideo possunt infinitae animae rationales multiplicari intra eandem speciem, etiam si formae spirituales subsistentes sint; quia sunt participationes divinae naturae infinitae, quae quatenus talis est infinita participabilis, ac proinde superat sua participabilitatem quaecunque participationem animae rationalis, quapropter sicut ipsa divina natura est amplius, & amplius participabilis ultra quaecunque animam rationalem, ita ultra quaecunque possunt dari aliae amplius & amplius participantes; quia omni participabilitati correspondet sua participatio possibilis.

6 Atqui etiam si Angeli sint substantiae spirituales subsistentes participant individuationem divinae naturae infinitae, ac proinde amplius, & amplius participabilis sine fine, & termino: ergo adhuc supposita participatione Gabrielis: ergo manet individuatione amplius, & amplius participabilis in infinitum, & sic adhuc supposita tali participatione Gabrielis, poterunt dari infinita individua intra eandem speciem, quae participare possint perfectionem omnem tam individuum, quam specificam illius naturae.

7 Respondent Thomistae, assignando disparitatem inter animam, & Gabrielem; nam anima rationalis, quamvis incorporea, & spiritualis sit, respicit tamen materiam, per quam individuatur, & multiplicari possit; natura vero Angelica cum sit totalis, & completa, nihil extrinsecum respicit per quod possit individuari.

8 Sed contra manifeste, quia nulla anima rationalis individua, determinate respicit hanc, vel illam materiam primam, sed potius quantum est ex se indifferens est ad quamlibet materiam primam; anima enim non minus connaturaliter est in hac materia, quam in alia, & in ea portione materiae determinatae, quam casu acquirit per nutritionem, quam in alia quacunque, quam possit acquirere, quam non acquirit ex hoc vide-

licet solum, quod haec potius sibi oblata fuerit, quam illa: ergo ex se indifferenter respicit quamlibet materiam, & sic a parte rei non individuatur per ordinem ad aliquam materiam determinatam. Deinde quia duae animae rationales numero distinguuntur, & utraque eandem numero materiam respicit, quia unaquaeque anima rationalis omnes materias respicit, quas alia: ergo in ordine ad materiam primam, non potest sumi distinctio, & differentia talium animarum; quia si talis distinctio sumeretur in ordine ad materiam, una anima non respiceret eandem numero materiam quam alia; sed non respicit distinctam, sed eandem: ergo.

Dices, utramque animam rationalem connotare saltem conceptum specificum materiae, siue subiecti.

Sed contra, utraque connotat eundem conceptum specificum materiae: ergo per ordinem ad illam non possunt habere inter se pure numericam distinctionem. Patet consequentia; quia semper manens idem semper est natum facere idem; sed conceptus specificus materiae etiam propter connotatus ab utraque anima rationali est idem re, & formaliter; habet enim realitatem materiae, & praeterea respicitur, & connotatur ab utroque sub formalitate partis incompletae, & potentialis: ergo natus est facere idem potius, quam diversum secundum numerum, atque adeo duae animae rationales non distinguuntur inter se distinctione solum numerica per illam materiae connotationem: ergo provenit talis distinctio, & multiplicationis individualis ob infinitatem divinae individuationis participabilis ab illis, & limitationem, finitudinem, & terminationem uniuscuiusque animae rationalis, quia quod plura individua possint sub eadem specie multiplicari, fundatur in naturali conditione, seu proprietate talis naturae finitae; ratione cuius non repugnat illi multiplicatio individuum intra eandem speciem; haec autem proprietas non est aliqua aptitudo naturae communis ut sic, quae intelligatur quasi potentia quaedam actuabilis per plures differentias; sed est solum talis perfectio, & limitatio huiusmodi naturae, ut dixi; unde haec proprietas, quae fundat hanc indifferenciam, seu non repugnantiam, non solum in natura communi, & praecisa intelligi potest, sed etiam in ipsis particularibus seu individuis, ut talia sunt; ut v. g. in specie equina unumquodque individuum talis conditionis est, ut illi non repugnet habere aliud simile in specie, & utrique, seu omnibus individuis illius speciei commune est, ut eis non repugnet habere alia similia tantum secundum aliquod genus, & non in specie, quod eis provenit ex eo quod sunt substantiae finitae; quibus non repugnat, ut inter se habeant similitudinem, vel convenientiam univocam; quia nihil in sua entitate includunt, ratione cuius eis repugnet habere alias res sibi similes in perfectione, vel aequales, nam licet in unoquoque individuo natura sit determinata ad illud tantum, nihilominus ita est in illo ut ex vi eius non repugnet esse in alio simili, seu potius similem naturam esse in alio individuo.

Atqui natura Angelica etiam est finita, & limitata in specie infima; quia est participata, & ab alio in illa: ergo est multiplicabilis in plura individua solo numero differentia.

Vergetur a contratio sensu; nam quod divina natura essentialiter includat individuationem

suam positivam, & incommunicabilitatem respectu inferiorum, ex eo præcise provenit, quod infinitati eius repugnat talis multiplicatio; omnis autem substantia immaterialis creata finita est; ergo non est cur ei repugnet habere aliam omnino similem essentiam, distinctam tamen realiter in entitate. Responderi potest, quamvis substantia spiritualis sit finita simpliciter in genere entis, esse tamen infinitam in specie sua, habereque totam perfectionem possibilem in sua specie, quia cum sit abstracta, & separata à materia, non habet unde limitetur, & ideo intra illam speciem multiplicari non potest; sed huiusmodi infinitas & sine sufficienti fundamento asseritur, & vix potest declarari in quo consistat, nisi petendo principium.

Interrogo ergo, an huiusmodi infinitas intensiva sit, an extensiva. Primum dici non potest, tum quia tota perfectio intensiva talis Angeli continetur intra certum gradum, & limitem talis speciei, in qua nulla est formalis infinitas intensiva, nisi forte dicatur infinita secundum quid, quia potest sub se continere species inferioris ordinis syncategorematicè infinitas; quod tamen non indicat infinitatem, sed perfectionem quandam superioris rationis; unde hoc commune esse potest speciebus rerum materialium, ut patet in specie humana, sub qua species brutorum in infinitum multiplicari possunt. Hoc ergo perfectionis, seu infinitatis genus nil refert ad questionem, de qua agimus; nec potest esse ratio ob quam species aliqua per se individua sit, & non possit in individuis multiplicari, imo etiam si admitteremus illam infinitatem intensivam veram, & formalem in aliquo limitato gradu intrinsece, non sequitur talem perfectionem non posse in multis similibus individuis reperiri, quia hoc non habet necessariam connectionem cum illo; ut quamvis daretur gratia infinite intensa in anima Christi Domini v.g. non propterea sequitur non posse dari alias qualitates gratiæ numero distinctæ, siue finitas, siue infinitas. Quod argumentum etiam declarat infinitatem illam intensivam propriam, & formalem, non magis posse dari in substantiis, quam in accidentibus.

Si vero sit sermo de infinitate extensiva; Primo petitur principium, quia hæc extensio non est aliud quam multiplicatio individuorum in ea specie. Deinde id quod dicitur, repugnantiam involuit, nam illud individuum formaliter, & in se vnum tantum est: quomodo ergo potest infinitatem extensivam in se continere, quæ in sola multiplicatione individuorum consistit? Dices continere virtualiter, non formaliter. Sed explicari non potest, in quo consistat hæc virtualis infinitas, seu continentia, aut in quo fundetur; cum non consistat in infinitate intensiva talis naturæ, neque in ea fundari possit, ut probatum est; nulla ergo assignatur ratio, ob quam perfectioni talis naturæ repugnet communicari multis individuis in essentiali perfectione similibus. Huiusmodi ergo substantiæ, quamvis abstractæ à materia simpliciter finitæ sunt. Neque enim oportet, ut limitationem habeant à materia proprie dicta (quidquid quoad hoc sit de materialibus formis) sed ex propria differentia, vel ex se, & ex propria entitate, aut quia habent tale esse receptum; aut denique, quia natura sua in tali supposito existunt: igitur ex infinitate nulla ratio sumi potest, ob quam huiusmodi naturæ immateriales essentia-

liter sint individua, & incommunicabiles.

Dici aliter potest ex sola immaterialitate sumi sufficientem rationem; quia res, quæ carent materia, non possunt materialiter multiplicari, ut per se constat: ergo solum formaliter, & essentialiter, seu specificè: ergo non individualiter, seu secundum numericam multiplicationem, quia &c. est materialis multiplicatio.

Sed hæc etiam ratio, si verba, *materialiter*, & *formaliter* proprie sumuntur in primo antecedente, insufficiens est, & principium petit; nam conclusionem ipsam in ratione sumit, nimirum vel distinctionem numericam sumi ex materia, vel idem esse differre numero, quod differre materialiter. Est enim in rebus materialibus hæc habeant aliquam veritatem, tamen inde non potest sufficiens argumentum sumi ad immaterialia. Distinctio ergo individualis latius patet, quam materialis differentia dicto modo sumpta; differre enim numero solum est distingui in propriis entitatibus cum convenientia, & similitudine in integra ratione essentiali; quod commune esse potest tam rebus spiritualibus, quam corporalibus. Unde si materiale, & formale latius humanatur, prout formale dicit rationem essentialem præcisam; materiale vero quidquid illam contrahit, & determinat ad talem entitatem; sic duo Angeli eiusdem speciei, quamvis distinguantur per duas formas integræ, possunt dici non distingui formaliter, seu materialiter, seu entitative; sicut distinguuntur inter se due anime rationales.

Et hoc exemplo potest confirmari hæc sententia, nam anima rationalis physice considerata non est minus immaterialis, ac Angelus, & nihilominus multiplicatur, ut supra diximus: ergo similiter Angeli, & simile argumentum sumi potest ab accidentibus spiritualibus, in quibus individuum addit aliquid supra speciem, non solum in ordine ad diversa subiecta, sed etiam respectu eiusdem: ideo enim possunt hæc accidentia respectu eiusdem subiecti numero distingui, & multiplicari saltem successivè; ut patet de diversis actibus eiusdem rationis in eodem intellectu Angelico, & voluntate: si ergo in illis actibus reperitur eadem ratio specificæ spiritualis contrahibilis ad diversa individua, non ex diversis subiectis, sed ex diversis differentis individualibus in ordine ad idem subiectum, cur non poterit eadem ratio specificæ substantialis, & spiritualis similiter contrahi per differentias individuales sibi proportionatas? Certe nulla potest reddi sufficiens ratio, atque similia argumenta sumi possunt ex aliis entitatibus simplicibus, quæ ex se ipsis possunt numero distingui ut sunt due gratiæ sanctificantes, quæ solo numero differunt in diversis subiectis, due visiones beatificæ, duo lumina gloriæ, duo habitus charitatis, &c. quæ omnia licet spiritualia entia sint, multiplicantur intra eandem speciem infimam: ergo à paritate rationis quod Angeli sint entitates simplices spirituales abstractæ ab omni materia, non impedit quominus multiplicentur intra eandem speciem solum individualiter.

SUBSECTIO PRIMA.

Secundum principale argumentum ponitur.

- 17 **Q**uia magis abstracta est ab omni materia natura diuina, quam Angelica, sed natura diuina non repugnat pluralitas multorum suppositorum solo numero distinctorum: ergo à fortiori nec specificæ naturæ Angelicæ repugnabit; cum hoc tamen discrimine, vt in vnoquoque indiuiduorum Angelicæ naturæ propter limitationem, & finitudinem, vt supra diximus ad vniuersumque distinctionem numericam consequatur distincta numero natura, cum tamen eadem numero natura indiuidua, & singularis sit in tribus suppositis diuinis.
- 18 Dices, ex his vltimis à nobis propositis conuinci argumentum non esse efficax; quoniam abstracta naturæ multiplicatio repugnat; non vero communicatio si fecunda sit, esse autem fecundam si est infinita, vt diuina; quo fit vt eadem natura diuina pluribus suppositis communicari valeat absque multiplicatione tamen, quoniam abstracta est, propter quod multiplicari etiam non possit Angelica vt nec communicari pluribus eadem; non quia est abstracta, sed quia non fecunda eo quod finita, & limitata sit.
- 19 Sed contra primo, quia licet propter infinitatem simpliciter in omni genere, & propter perfectionem simpliciter simplicem, quam habet diuina essentia in se non possit numero multiplicari, nihilominus tres relationes diuinæ, eo quod non sint infinitæ simpliciter in omni genere, & quia vnaquæque non est perfectio simpliciter simplex, etiam si vnaquæque sit maxime abstracta ab omni materia, & sit substantia simplex subsistens, multiplicatur solo numero: ergo à fortiori naturæ Angelicæ, licet sint substantiæ abstractæ à materia, cum non sint infinitæ per essentiam, sed potius essentialiter finitæ, neque sint perfectiones simpliciter simplices, sed potius perfectiones admixtæ imperfectionibus, poterunt multiplicari indiuidualiter quoad subsistentias, & quia habent finitudinem & limitationem in natura poterunt multiplicari indiuidualiter in illa; Itaque multiplicatio in natura finitudinem perit essentialiter, & ideo animæ rationales, vt supra diximus, homines & reliqua entia creata quoad naturam indiuidualiter multiplicantur, quia habent finitudinem, quam etiam habent Angeli: ergo similiter debent multiplicari quoad naturam.
- 20 Secundo contra solutionem immediatius insurgit: ergo communicatio, vt sic, & vt abstrahit à communicatione cum multiplicatione, & sine illa non repugnat naturæ abstractæ: ergo nec Angelicæ vt abstracta est, quantumuis sit species infinita: ergo nec vt est talis, id est Angelica ea communicationis species, quæ cum multiplicatione est: pater consequentia, quia ratio propter quam communicatio cum multiplicatione repugnat diuinæ naturæ, est quia de formali, & vltimo proprio illius conceptu ipsi essentialiter est, tum infinitudo per essentiam vt diximus, tum ipsum existentie in actu secundo exercitium: sed nihil horum est de essentia Angelicæ naturæ: ergo illi multiplicatio per indiuidua non repugnat.
- 21 Vrgetur hoc, & declaratur ex P. Valentia; quia ideo in sententia aduersariorum Angeli non pos-

sunt multiplicari numero; quia carent materia; quod est falsum; Nam si materia omnino necessaria est, vt aliqua res multiplicetur indiuidualiter in eadem specie, vel ideo hoc contingit, quia non potest omnino esse differentia indiuidualis, nisi per materiam; vel certe ideo, quia non potest nisi per materiam esse differentia indiuidualis aliquarum eiusmodi rerum, quæ simul etiam in eadem specie conueniant; sed non primum, siquidem constat iam re ipsa differre Angelos indiuidualiter, quantumvis sint expertes materiæ, nam ea quæ differunt essentialiter à parte rei, differunt etiam indiuidualiter, vnde Michaël Angelus, qui differt specie, & essentialiter à Gabriele, differt etiam indiuidualiter ab illo.

Nec etiam dici potest secundum; nam si potest intelligi quod res aliqua expertis materiæ possit nihilominus infra, & extra latitudinem suæ perfectionis specificæ habere aliquam rationem, seu gradum, qui ad ipsius perfectionem, & quasi complementum pertineat, recte etiam intelligi poterit quod sine materia possit ea res multiplicari indiuidualiter, salua sui vnitatis specificæ: sed in proposito recte intelligi potest, & omnino etiam fatendum est naturam specificam Angelicam, tametsi careat materia, habere aliquam rationem, seu gradum extra & infra latitudinem suæ perfectionis specificæ: ergo recte quoque intelligi poterit & omnino fatendum erit posse illam sine materia indiuidualiter multiplicari salua sui vnitatis specificæ.

Maiores illa probatur; nam D. Thomas, & alij, qui asserunt, rem specificam multiplicari non posse indiuidualiter sine materia, idcirco hoc docent, quoniam existimant ad ipsam perfectionem specificam rei expertis materiæ debere intrinsecè pertinere quicquid perfectionis esse potest in eiusmodi re, vt confirmat D. Thomas exemplo albedinis, seu formæ separatae, inde enim sequitur differentiam eiusmodi rei non posse esse, nisi specificam, quandoquidem esse debet per aliquid intrinsecum speciei, atque ita contendunt non differre in eiusmodi rebus distinctionem indiuidualem, & specificam, sed specificam esse, etiam per se indiuidualem; si igitur vt nos assumpsimus in nostra maiori fieri potest, vt in re, quæ sit expertis materiæ sit nihilominus aliqua perfectio infra, & extra perfectionem specificam nihil obstat quominus possit eares sine materia multiplicari indiuidualiter, salua vnitatis specificæ: ergo vera est illa maior.

Minor autem probatur; nam certissimum est personalitatem, seu gradum personalem in quouis Angelo esse aliquam rationem seu perfectionem in natura Angelica, quæ sit infra & extra perfectionem Angelicam specificam, tametsi Angelus sit expertis materiæ: ergo pari modo potest etiam infra perfectionem specificam Angelicam esse gradus aliquis, seu ratio, quæ constituat ipsam naturam hanc, & singularem, tametsi Angelus materiæ sit expertis. Antecedens probatur, nam ex omnium Theologorum sententia certissimum est, Verbum diuinum potuisse vnire sibi hypostatice naturam aliquam Angelicam, sicut sibi vnuit naturam humanam, id quod etiam colligere licet ex Apostolo ad Hebræos secundo, qui ad amplificandum beneficium collatum in homines ea vniōne dicit Filium Dei, non Angelos apprehendisse, sed semen Abraham; quasi dicat: cum ille potuerit Angelicam naturam apprehendere, tamen non illam sed nostram apprehendisse.

Q

At

At æque certum etiam apud Theologos Thomistas cum quibus pugnamus, est, Verbum diuinum non potuisse, vel naturam humanam, vel naturam Angelicam ad unitatem suæ personæ assumere vna cum humana etiam vel angelica personalitate creata; cum implicet contradictionem ex persona Verbi & ex persona humana, aut angelica constitui vnā personam; neque etiam persona sit vllō modo assumptibilis hypostaticæ: ergo certissimum est personalitatem Angelicam esse aliquid infra, & extra specificam perfectionem Angelicam; ex quibus videtur satis probata nostra sententia. Adde quod opinio illa aduersaria iam olim in tribus articulis facultatis Theologicæ Parisiensis fuit iudicata erronea, vt docet Valentia; & obicit Ricardus in 2. *distinct. art. 3. quæst. 1.* & Henricus Gandauensis. *quodlibet. 11. quæst. 1.* & Durandus in 2. *dist. 3. quæst. 3.* quæ ratio non est exigui momenti pro nostra sententia; quandoquidem in capite ad abolendam extrau. de hæreticis dicitur suspectam haberi posse de hæresi eam propositionem, quæ in aliqua Academia catholica condemnatur; præcipue quando opponitur talis sententia multorum Patrum Ecclesiæ consensui, vt videtur aduersaria sententia; nam multi Patres asserunt non solum de possibili, sed etiam de facto, Angelos solum numero differre, vt videre est in Basilio lib. 3. *contra Eunomium*, vbi sic ait [Angeli omnes sicut appellationis vnus, ita eiudem naturæ sunt inter se, & licet sint dispares in dignitate, & principatu, non ideo naturam alteram habere] & Athanasius oratione in illud, *Omnia mihi tradita sunt, circa finem*, ait [Angeli quoque inter se generis ratione, & cetera omnia cognata sunt, & eiudem naturæ.] Et in quæstionibus, ad Anibicium, quæst. 7. vel 3. dicit [Dæmonem ab Angelo essentia non differre, sed voluntate, sicut boni, & mali hominis animus inter se differt] & rursum quæst. 8. alias 4. [vna inquit, & eadem est essentia Angelorum; sicut etiam vna tantum est essentia hominum] & mox subiungit [ordines vero, sicut multum valens in Theologia Dionysius inquit, sunt nouem Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes sex alis alata Seraphin, multis oculis ornata Cherubin, & Throni] Clare etiā Gregorius Nizenus, *homilia de officio hominis, cap. 17.* dicit [Angelos ad infinita prope millia sic diffusos vt vna natura, & multi esse numero possint] & in libro de oratione dominica, idem docet aperte circa illa verba, fiat voluntas tua; concordat Damascenus lib. de decretis & placitis, c. 1. his euidentibus verbis, [vnus cuiusque speciei vna est natura, & omnium Angelorum vna est natura, & omnium hominum intelligendum est ea, quæ sola indiuidua continent species infimas vocari; cuiusmodi est Angelus, homo, &c.] & eodem capite, sic ait, [incorpoream essentiam appello animum, Angelum, Dæmonem, vnumquodque enim istorum species est infima] Denique Anselm. lib. 2. cur Deus homo, c. 21. dicit, Angelos esse eiudem naturæ, speciei, & essentia, licet non sint eiusdē generationis, sicut homines, nec enim sunt omnes Angeli de vno Angelo sicut omnes homines de homine. Ecce quomodo sententia aduersariorum aperte opponitur dictis tot sanctorum Patrum, eam oppugnat Augustinus in *Enchirid. cap. 21.* vbi docet propterea non fuisse redemptam naturam Angelicam, sicut fuit humana; quia tota natura humana in peccatum incidit, non autem tota natura Angelica; si autem in vna natura Angelica specifica esset tantummodo vnum indiui-

duum, aliqua tota natura Angelica cecidisset; ergo euidenter sequitur, ex dictis D. Augustini, dari plures Angelos eiudem speciei, præterea quia sententia contraria non tam consentanea est modo loquendi Scripturæ, sicut nostra: Scriptura enim sæpe ita plane loqui videtur de Angelis, præsertim vnus ordinis, sicut de hominibus, & aliis rebus eiudem speciei: ergo decretum Parisiensis Academicæ adiuncto capite ad abolendam vim habere videtur contra aduersarios.

Vltimo, quia principium indiuiduationis sub eadem specie non debet esse distinctum secundum rem ab ipsa natura, & specie tam in rebus simplicibus, quam in compositis: ergo aut in omnibus speciebus potest esse multiplicatio indiuiduorum secundum numerum, aut in nullis: nam si aliqua ratione in simplicibus non esset, hoc ita eveniret, quia principium debet esse aliquid distinctum sicut in corporibus ponitur ab aduersariis, materia signata quantitate; aut præcedente, aut subsequente generationem; quod in simplicibus non reperitur; sed principium adæquatum, & totale generationis, de quo hic loquimur, non est huiusmodi, sed est omnino idem secundum rem cum principio specifico, & sola ratione diuersum, vt late demonstrauimus supra, agentes de indiuiduatione, & ad proinde æque in omnibus speciebus potest inueniri: ergo non est cur negemus in simplicibus, & à materia separatis distinctionem secundum numerum sub eadem specie.

Vegetur amplius, quia Angelus per idem principium constituitur in specie infima, & in ratione superioris generis. Nec tamen hæc vnitas facit, vt Angelus qui constituitur diuersus in specie infima, constituitur etiam diuersus in superiori genere substantiæ spiritualis: ergo similiter vnitas, & identitas principij, quo Angelus constituitur in indiuiduo, & specie infima, non est sufficiens ratio vt constituitur diuersus in essentia, eo ipso quod constituitur diuersus in indiuiduo. Antecedens conceditur à Doctoribus contra quos agimus, traditurque à D. Thoma; probatur tamen, quia differentia per quam substantia contrahitur ad genus inferius substantiæ spiritualis est spiritualitas, à qua gradus substantiæ in Angelo non potest differre à parte rei in sententia D. Thomæ, quidquid dicat Scotus, quia spiritualitas perfectio quadam positiua est, quæ à nobis explicatur per carentiam corporis, vel independentiam à corpore actus negationis spiritualitas est radix; proinde hæc perfectio in his omnibus est, in quibus est negatio corporis, & dependentia à corpore; hoc enim est incorporeum, sed in Angelo gradus supremus substantiæ à nullo corpore dependet: ergo in se ipso includit ex natura rei loquendo perfectionem spiritualitatis; non igitur distinguitur à parte rei ab hac differentia, idemque iudicium erit de reliquis.

SVBSECTIO II.

Secunda conclusio ponitur.

DE lege ordinaria etiam possunt multiplicari Angeli intra eandem speciem; ita P. Franc. Suarez *omo de Angelis, lib. 1. c. 15.* vbi sic ait: ego vero nunquam satis intelligere potui quomodo in hoc effectu absoluta potentia ab ordinaria distingui-

Quaest. II. Vtrum Ang. solo numero, &c. 123

distingui possit, nisi confundantur res. J unde vt
controversia de verbis auferatur; inquiri; an lex
ordinaria in praesenti dicatur ipsa voluntas Dei,
qua de facto decreuit, has tantum res efficere, tan-
quam sufficientes ad eam vniuersi perfectionem;
quam intendebat, vel lex ordinaria dicatur illa;
quam res ipsa secundum modum naturae suae de-
bitum postulabant; prior sensus quaestioni praesenti
non inseruit, tum quia confundit quaestionem de
facto cum quaestione de possibili; quid enim aliud
est inquirere, an sint plures Angeli eiusdem speciei
vltima; quam quaerere, an Deus illos creauerit: &
quia Deus nihil creat, nisi quod vult, idem est,
ac quaerere, an voluerit illos creare? si ergo lex
ordinaria est idem, quod voluntas Dei actualis,
seu liberum decretum eius, idem est dicere hoc
esse possibile de lege ordinaria, quod dicere hoc
voluisse Deum facere; unde fit, vt impossibilitas
secundum legem ordinariam in illo sensu tan-
tum sit composita, id est supposita voluntate
Dei, qua statuit non creare plures Angelos
eiusdem speciei, illos esse non posse; quod siuo-
lum valde est; nam eodem modo dicere quis
posset, non posse esse plures species Angelorum
in quolibet ordine eorum secundum legem or-
dinariam, quam modo sunt; nec esse possibi-
lem perfectiorem Angelum in natura, quam sit
Lucifer, si fuit supremus omnium; quia suppo-
sito quod Deus decreuit non creare perfectio-
rem, nec plures species in tali ordine, aliud non
est possibile.

29 Oportet ergo, si recte hoc negotium ponde-
retur per legem ordinariam intelligere legem fun-
datam in ipsis rerum naturis, eisque consenta-
neam, & ita debitam, vt contraria lex praeter,
vel supra naturas talium rerum sit, & similiter
cum dicitur productio plurium Angelorum eius-
dem speciei esse, vel non esse possibilis secundum
communem cursum causarum vniuersi, non
debet in illis causis includi decretum liberum Dei
absolue spectatum, quia notum est sine illo ni-
hil posse fieri, maxime in his rebus, quae tantum
ab ipso Deo fieri possunt, vt sunt substantiae se-
paratae, atque ita si in hoc etiam fiat sensus com-
positus, non tantum de lege ordinaria, sed etiam
de potentia absoluta, non possunt Angeli multi-
plicari in eadem specie secundum communem
causarum cursum, nisi in hoc causarum cursu di-
uinum decretum liberum includatur.

30 Igitur accipiendus est ordo causarum inclu-
dendo in ipsis Deum vt proximam, & vnicam
Angelorum causam, & in Deo ipso non est sup-
ponenda determinatio libera voluntatis ad crean-
dum vnum, vel plura indiuidua in singulis An-
gelorum speciebus, sed consideranda est volun-
tas diuina quasi in actu primo ad volendum
creare vniuersum, & sic est inquirendum, an se-
cundum communem cursum, id est secundum
modum connaturalem creandi huiusmodi res po-
tuerit Deus velle creare plures Angelos in ea-
dem specie, ita vt id volendo, nihil supernatura-
le, vel modo supernaturali ageret; sed tantum vt
causa ordinis naturalis operaretur; sicut mo-
do creando, & multiplicando animas opera-
tur.

31 Sic ergo bene explicato sensu controversiae
probo non minus posse Deum creare plures An-
gelos eiusdem speciei infra, de potentia ordina-
ria, seu operando modo connaturali, & ipsis na-
turis Angelicis consentaneo; quam de potentia
absoluta.

I. P. Tom. II.

Primo; quia vel in Angelis secundum quod
possibiles sunt in singulis eorum speciebus est
possibile intrinsecum principium distinctionis
plurium indiuiduorum sub eadem specie ex par-
te ipsorum Angelorum possibilem; vel non inue-
nitur; si primum dicatur, vt dicendum est pro-
pter rationes in prima conclusionem positas, possi-
bilis erit illa indiuiduorum multiplicatio, non
tantum de potentia absoluta, sed etiam de or-
dinaria; si vero dicatur secundum, non solum de
potentia ordinaria; sed etiam de absoluta, impos-
sibilis erit talis multiplicatio; ergo non habet
locum in praesenti effectu talis distinctio; conse-
quentia tenet ex vi sufficientis partitionis, quae
in maiori fit, vt ex terminis contradictoriis ma-
nifestum est; probatur ergo prior pars minoris;
quia supposita capacitate, seu possibilitate ex par-
te obiecti, sicut potest Deus pro sua libertate
velle creare vnum tantum Angelum in singulis
speciebus; ita pro eadem libertate potuit velle
creare plures, cum ex parte illorum possibili-
tas, & capacitas obiectiua supponatur, & si hoc se-
cundum voluisset, non magis ageret supra ordina-
riam legem; quam volendo primum, quia ante
liberam determinationem voluntatis Dei nulla
lex ordinaria supponitur ex parte ipsius Dei, nec
ex parte ipsius speciei Angelicae, magis vnitas in-
diuidui, quam pluralitas postulatur; cum vtraque
sit possibilis; seu non repugnans ex parte sua; ergo
data illa hypotesi de capacitate ex parte obie-
cti possibilis est multiplicatio tam de ordinaria,
quam de absoluta Dei potentia.

Et declaratur aperte, quia si ponamus Deum
velle creare duos Angelos in vna specie, tam na-
turalis esset creatio vniuscuiusque illorum, ac si
solus crearetur, & tam connaturali modo, seu se-
cundum ordinem naturae operaretur Deus crean-
do duos, sicut creando vnum tantum; ergo
tanti est possibilis secundum communem cursum
creatio plurium; quam vnus; antecedens patet;
quia ex parte Dei non est difficilius creare plu-
res, quam vnum; supposita non repugnantia ex
parte obiecti, neque creando duos aliquid super-
naturale efficit in aliquo illorum, vel in vtro-
que, vt distingui possint, quia solis suis entitati-
bus distinguuntur; quia talis distinctio suppo-
nitur possibilis in illis entitatibus simplicibus
spectatis inesse possibili; unde nec in modo pro-
ductionis necessarium esset aliquid supernatura-
le, sed sola multiplicatio creationum, quae ni-
hil supernaturalitatis includit; ergo illa multi-
plicatio indiuiduorum esset omni ex parte na-
turalis, ac subinde possibilis secundum commu-
nem cursum, vel legem.

34 Vnde concludendum est si est possibile, multi-
plicari numero Angelos in eadem specie de ab-
soluta Dei potentia, etiam esse possibile de ordi-
naria; neque ad hanc multiplicationem esse ne-
cessariam actionem aliquam supernaturalem; nec
praeternaturalem; ac proinde fieri posse secun-
dum communem cursum causarum naturalium
ipsam etiam primam causam, vt naturali, &
ordinario modo operantem in his causis inclu-
dendo, probatur; quia si illa multiplicatio est
possibilis de absoluta potentia, supponitur ex
parte naturae angelicae considerari in esse possi-
bili non repugnare, nec deesse principium intrin-
secum distinctionis numericae sub eadem specie;
ergo eadem potestate ordinaria, quia Deus potest
creare illam speciem, potest illam producere in
vno, vel in multis indiuiduis prout voluerit.

Q. 2

Alter

35 Altera pars minoris probatur, quia si in natura Angelica considerata in esse possibili non præintelligitur possibile intrinsecum principium distinctionis indiuiduorum intra eandem speciem, per nullam potentiam, etiam absolutam Dei, fieri poterit talis multiplicatio, quia ex parte ipsius obiecti supponitur repugnantia; quod patet, quia impossibile est intra speciem aliquam multiplicari indiuidua, nisi in se recipiant intrinsecum principium distinctionis, neque hoc principium addi potest ab extrinseco, si in ipsa intrinsece non inuenitur: ergo si supponamus in Angelis non esse possibile tale principium intrinsecum nullo modo poterunt creari distincti numero in eadem specie: consequentia clara est, & antecedens probatur; quia distinctio vnus rei ab alia ex parte ipsarum rerum spectata est veluti quidam formalis effectus, qui sine propria intrinseca forma, vel quasi forma fieri non potest, nec Deus potest illam supplere; quia non potest supplere causam formalem, aut materialem intrinsecam, nec potest facere quod ab intrinseco aliquid rei conueniat, quod illi non est natum.

36 Ratio autem magis à priori est, quia si aliquæ entitates non sunt ab intrinseco distinctæ, aliquid eis addere oportebit, in quo distinguantur; at vero ut aliquid huiusmodi eis addi possit, oportet, ut supponantur distinctæ; quomodo enim illud, quod superadditur, esset distinctum, si supponatur esse vnum, & idem illud cui additur? Ergo repugnaret prorsus distinctio numerica, si non præintelligeretur possibilis tanquam intrinseca ipsis entitatibus, & omnino eis connaturalis.

37 Et ideo non recte fit comparatio inter alios effectus quos Deus facere potest supernaturaliter in rebus, quia solum pendet ab ipso, ut ab efficiente, & sine, & hunc effectum distinctionis numerice non potest in rebus supernaturaliter fieri, si in ipsis entitatibus intime, & connaturaliter non inuenitur, quibus rationibus Patris Suarez satis aperte probata manet hæc secunda conclusio, illisque aliquid addere superuacaneum opere prætium iudicauit.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

38 **A**D primum argumentum nego absolute maiorem, ut patet ex supradictis.
Ad secundum etiam absolute negatur maior, ut patet ex relationibus diuinis, gratia habituali, animabus rationalibus, &c.

QUESTIO III.

De multis ad substantiam Angeli pertinentibus.

1 **P**rima conclusio: Angeli sunt adæquate, & totaliter spirituales; Patet 1. ex scriptura, *Psalm. 103.* qui facis Angelos tuos spiritus, & ad *Hebræ. 1.* Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, &c. & *Psalm. 105.* Benedicite spiritus, &c.

2 Secundo probatur ex Ecclesiæ definitione; nam.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. quod etiam refertur in capite. *Firmiter, de summa Trinitate*, dicit[ur] simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spirituales, & corporales, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam] ubi Angelos esse creaturas spirituales decernitur, id est incorporeas, condistinguit enim à corporalibus Concilium, unde sicut corporales creaturæ condistinguntur ab hominibus mere corporales sunt, & non mixtæ ex spiritibus; ita è contrario Angelos, ut condistinguitur tam ab hominibus, quam à tota mundana creatura esse puros spiritus, & non ex corpore, & spiritu mixtos debemus intelligere ex definitione Concilij.

Fere omnes Patres Ecclesiæ in hanc veritatem unanimi consensu conspirant, ut Dionysius *cap. 1. de celesti hierarch.* Athanasius. Gregorius. Nizenus, Chrysostomus, Leo Papa *epist. 93. ad Turibium, cap. 6.* Et reliqui, quos ad longum citat P. Suarez.

Ratio sumitur ex D. Thoma, 1. *p. quest. 51. art. 1. & quest. 7. art. 3.* fundaturque præcipue in causalitate finali, quæ inter materiam & formam, seu corpus & animam intercedere debet ut ad vnam naturam constituendam conuenienter vniantur; si enim Angeli essent corporei, tanquam ex corpore & spiritu compositi, necessarium esset corpus comparari ad spiritum, ut materiam ad formam, quia non possent per se vniri, nisi per modum potentie, & actus: clarum autem est inter corpus, & spiritum illud esse potentiam, hunc vero actum: ergo componitur Angelus ex corpore, & spiritu, tanquam ex materia & forma: sed non potest hoc modo spiritus Angelicus vniri corpori: ergo non possunt Angeli hoc modo esse corporei. Probatur minor, quia spiritus non vnitur corpori ut forma materie principaliter propter bonum corporis, sed ut illo tanquam organo, & instrumento utatur ad suam propriam operationem, quæ est intelligere, quia non est forma propter materiam, sed potius materia propter formam, quia semper ignobile est propter nobilior non contrario; sed corpus non potest deferuire spiritui Angelico ad suam operationem: ergo talis spiritus non est forma corporis, nec ad illud actuandum natura sua ordinatur, nam sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis, quando ratio, seu causa est adæquata; ita enim est in præsentia, ut videre licet in anima hominis, vnitur enim corpori ut forma, quia illo indiget ut organo ad suam propriam intelligendi munus, & ad scientiam comparandam, quo sine sublato, impertinens esset talis vnio, ac subinde non esset intrinseca; & connaturalis: subsumptum minoris probatur, quia corpus non seruit spiritui ad cognitionem intellectualem, & scientiam acquirendam, nisi media cognitione sensus; at vero corpus si esset in Angelo non haberet organa sensus, & consequenter nec facultatem sentiendi: ergo esset inutile ad operationes intellectus, ac subinde incapax naturalis, & substantialis vnionis ad spiritum Angelicum. Minor probatur, quia tale corpus esset simplex, & incorruptibile, ac proinde inalterabile & incapax tactus, & aliorum sensuum.

Secundo probatur omnibus argumentis quibus supra probauimus esse possibles creaturas pure intellectuales completas, quas Angelos nominamus.

Secunda

Quaest. III. De multis ad subst. Angeli, &c. 125

- 6 Secunda conclusio: Angeli sunt in loco per praesentiam: hac est communiter sententia; licet oppositum defendant Thomistae. Probatur, quia omni existentia rei correspondet praesentia, seu ubi; atqui Angelus actu existit: ergo substantia Angeli correspondet suum ubi, & praesentia; sed praesentia est modus existendi in loco: ergo Angelus per ubi, & praesentiam est in loco.
- 7 Confirmatur, quia Angelus mouetur localiter: sed motus localis est productio ubi, seu praesentia in mobili: ergo in Angelo datur praesentia, seu ubi productum per motum localem; sed ubi & praesentia est id, per quod res formaliter existit in loco: ergo Angelus existit in loco per ubi, seu praesentiam.
- 8 Vergetur, quia omnia entia tam creata, quam increata, tam spiritualia, quam materialia, ut sunt Deus, anima rationales, mixta, elementa, & accidentia, sunt formaliter in loco per ubi & praesentiam, conveniuntque in essendo loco per ubi seu praesentiam; atqui haec omnia entia conveniunt solum in ratione entis existentis: ergo quia sunt entia existentia, sunt in loco per ubi seu praesentiam; quia quocumque multa solo in vno predicato conveniunt, conveniunt etiam in aliqua formalitate secundaria, talem formalitatem habent ratione illius predicati; v.g. quia omnia entia conveniunt in veritate transcendentali, dicimus talem veritatem convenire illis propter predicatum entis, in quo assimilantur, ac proinde dicimus, non huic, vel illi, sed omnibus participantibus illam rationem entis convenire talem formalitatem: ergo si entia creata, & increata conveniunt esse in loco per ubi ratione entitatis actualis, evidenter sequetur omni habenti entitatem actualem convenire esse in loco formaliter per ubi, seu praesentiam: atqui Angelus habet actualem entitatem: ergo ratione talis actualis entitatis erit formaliter in loco per ubi seu praesentiam.
- 9 Deinde; quia esse in loco non convenit Angelo, quia operativus est; alias esse in loco solum operativus conveniret; neque Angelus conveniret in essendo in loco cum materia prima & aliis, id genus, quae non sunt entia operativa; quod est falsum, siquidem materia, & reliqua entia sunt vere, & formaliter in loco: ergo Angelus formaliter non est in loco per operationem, alias esset in loco formaliter ut operativus: ergo debet esse per ubi, quod est commune omnibus existentibus in loco, siue operativa sunt, siue non.
- 10 Ultimo probatur, quia Angelus est in caelo Empyreo tanquam in proprio loco; atqui nihil operatur Angelus in caelum Empyreum, ut ex terminis patet: ergo Angelus non est in loco per operationem, sed potius per ubi, & praesentiam, quam habere potest & de facto habet in caelo Empyreo.
- 11 Confirmatur, quia ideo res materiales sunt in loco per ubi, seu praesentiam in vestra sententia, & non necessario per operationem, quia habent extensionem, seu quantitatem formalem, per quam extendantur in loco; sed non est necessaria quantitas formalis ad essendum in loco formali per ubi: ergo falsa est vestra sententia. Minor sic probatur, quia si Deus tolleretur quantitas à materia prima, & in vestra sententia reduceretur ad punctum, sine dubio vere esset formaliter praesens, quia non esset absens ab illo loco, ubi poneretur à Deo, & nihilominus non haberet quantitatem: ergo quantitas non est necessaria ad essendum in loco.
- 12 Deinde, si Deus separaret albedinem à quantitate eo modo, quo in Eucharistia separavit quantitatem à substantia sine dubio erit praesens, & ut talis videretur ab oculis: ergo sine quantitate potest esse res praesens. Sed demus, res corporeas indigere quantitate formali; nihilominus tamen res spirituales non indigent quantitate formali ad hoc ut sint vere praesentes; sed sufficit eis entitas actualis cum extensione virtuali, si locus, cui debent esse praesentes, sit extensus formaliter, ut videre est in Deo, qui ratione suae extensionis virtualis, seu aequivalentis est in toto hoc mundo extenso praesens, & ratio est manifesta, quam saepe alias protuli, videlicet id quod aequivaleret alteri, potest facere, & exercere idem munus, quod exercet id, cui aequivaleret: videantur dicta tract. de Leos, in actibus liberis, agendo de contingentia aequivalenti libertatis divina; sed Angelus habet extensionem virtualem, & aequivalentem extensioni formali quantitatis: ergo sicut res corporea ratione quantitatis est in loco formaliter per ubi, seu praesentiam, ita similiter Angelus ratione quantitatis, aut extensionis aequivalentis poterit esse in loco formaliter per ubi, seu praesentiam. Tandem sic argumentor infringendo sententiam adversariorum, dicentium Angelum esse in loco solum ratione operationis; ita ut substantia Angeli reuera non sit substantialiter praesens in corpore.
- 13 Quia nulla causa efficiens operatur immediate, & per se ipsam, nisi in passum sibi propinquum vel effectum, cui per realem praesentiam adsit. Ex quo principio probat D. Thomas, Deum esse in omnibus rebus, non tantum per praesentiam, sed etiam per essentiam: ergo simili ratione, si Angelus ibi est ubi operatur, non tantum per potentiam, sed etiam per essentiam ibi esse debet realiter praesens: ergo dici non potest, esse in loco per solam actionem transeuntem, quam substantialis praesentia non comitur, vel potius ordine naturae praecedat tanquam conditio ad agendum in extrinsecum corpus necessaria, in quo est magna differentia notanda inter Deum, & Angelum; nam Deus, quia non necessario supponit subiectum ad actionem suam, ideo non requirit antecedentem propinquitatem inter ipsum, & effectum, sed potius haec sequitur ex creatione Dei, & ex parte ipsius solum supponitur eius immensitas, ratione cuius à priori loquendo ubicumque operatur, ibi est, at vero Angelus, idemque est cum proportionem de omni causa creata, necessario supponit subiectum, circa quod operatur, cui prius necesse est praesentem adesse, ut actione sua illud attingere possit; quia vero non desunt qui putant Angelum posse movere corpus à se distans, etiam in illa sententia negari non potest, quin Angelus adsit saepe realiter praesens, ubi operatur, iuxta id quod late probavimus libr. de gener. disp. 6. q. unica.
- 14 Nec etiam potest negari, quin semper requirat propinquitatem aliquam intra definitam sphaeram, quia est virtutis finita; ex quo melius convincimus, quod intendimus; quia si Angelus attingens aliquod corpus sua actione transeunte, non est in illo per intimam praesentiam, saltem debet esse illi propinquus intra certam distantiam: ergo necessario supponitur esse in alio loco, seu cum alia reali praesentia; quia distantia, vel propinquitas non est, nisi inter duo extrema determinata, & in certis, ac definitis locis existentia.
- 15 Ergo tunc Angelus licet in corpus distans operetur, non erit in illo corpore ut in loco, sicut sol licet ponatur immediate agere in terram, nihilominus non est in illa ut in loco, sed erit ibi tantum per potentiam, localiter autem in caelo. Sic

ergo Angelus data illa hypotesi erit localiter in illo corpore, in quo distans agere, vel adesse supponitur, & tunc inquitur, an in illo aliquid transiens efficiat: nato si efficit aliquid, iam non est ibi per solam actionem, sed cum actuali presentia; si vero nihil efficit, inuenitur Angelus in loco sine actione in illo, quod est contra opinionem, quā tractamus.

Itaque presentia Angeli est quid distinctum ab actione, & operatione illius; unde formaliter non est præsens per actionem, sed per ubi prius natura existens, quam actio, seu operatio, quia prius natura Angelus corpori præsens est, quam in illo operetur; prius autem non pendet à posteriori: ergo nec illa realis presentia pendet ab actuali operatione.

Dices, etiam Deus non pendet à mundo, verbi gratia, & nihilominus, non potest esse in mundo, vel in alio loco, nisi in illo operetur.

Sed contra primo, quia ut supradictum est, de Deo, probauimus; Deus est in infinito spatio imaginatio, tanquā in loco, & nihil operatur ibi, & ab æterno fuit præsens vere huic spatio, ubi in principio condidit orbem, & nihilominus ab æterno nihil condidit in illo spatio: ergo falsa est solutio aduersariorum, si autē aduersarij loquantur de entitate actuali positua, cui Deus est præsens, respondeo esse rationem longe dissimilem, tum quia licet Deus non pendeat à re illa cui præsens est, res illa pendet à Deo, quia non dicitur esse in re propter relationem ad illam, sed propter relationem rei ad ipsum Deum; nam res esse non potest, nisi per operationem, & conseruationem Dei, ideo non potest Deus esse in illa, si in illa non operetur; at vero Angelus prius natura, quam agat in corpus est illi realiter præsens, & corpus non pendet ab ipso, imo multa corpora sunt, in quibus nihil operatur Angelus ut est cælum Emphyreum de quo nuper dixi, imo Dæmones sunt in inferno; cum tamen nullam ibi transeuntem operationem habeant: ergo non est cur illa presentia Angeli ad corpus ex actione in ipsum pendeat.

Accedit denique, quia licet Deus quoad denominationem existendi in aliquo corpore, vel loco, quasi pendeat quodammodo à sua actione; quia illa solum est vel denominatio extrinseca à suo effectu proueniens, vel relatio rationis ab eodem effectu, tanquam à termino pendens, nihilominus quantum ad aliquod intrinsecum in ipso Deo existens, nullo modo à sua operatione pendet; quia licet nihil operetur eodem modo in se manebit cum eadem immensitate, & presentia; quia est veluti simplicissimum, & infinitum ubi intrinsecum eius; at vero si presentia Angeli à sua operatione penderet, non solum quoad extrinsecam denominationem, sed etiam quoad suum intrinsecum, ubi illam dependentiam haberet; quod & longe diuersum est, & sane improbabile.

Utique declaratur, nam si Angelus nunc sit in hoc cubiculo præsens, & actu operans, potest pro sua libertate actionem suspendere; ergo si necessario simul amittit presentiam, non solum extrinsecam denominationem, sed etiam intrinsecum ubi mutat; quod autem hæc necessitas sine fundamento asseratur, certe conuincitur ex illo principio nuper dicto, quod prius non pendet à posteriori; nam actio non est conditio necessaria ad presentiam, sed potius à conuerso, nec in illo genere est prior, neque est aliquid necessario manans ex presentia; nam ista posita, libere fit ergo sine probabilitate dicitur necessario fieri mutationem in intrinseco ubi Angelico, eo ipso quod ab actione extrinseca desistit.

Respondet Ferrara ad illud de cælo Emphyreo Angelos beatos habere in illo aliquam actionem transeuntem nobis oculatam; at vero qua facilitate hoc dicitur, contemnitur; quia cum oculus sit, nullo fundamento affirmatur, sed solum ad vim rationis fugiendam, cum tamen nulla effici, vel probabiliter ratione ostendatur necessitas actionis in cælo, ut Angelus in illo presentialiter existat. Deinde, quia terminus talis actionis nullius utilitatis est in cælo Emphyreo, vel ad particularem illius cæli perfectionem; quod per se perfectissimum creatum est, vel ad commune bonum vniuersi dicit Ferrara cum Caietano, ut instrumentum Dei operari Angelos aliquid in cælo.

Sed contra manifeste, quia quod Dæmones in inferno, & Angeli in cælo semper habeant actionem aliquam transeuntem, ut instrumenta Dei, & quod aliter ibi esse non possint substantialiter præsentes, incredibile est, & frustra, ac sine fundamento cogitatur, primo quia esse Angeli in loco est quoddam accidens ordinis naturalis Angelici, non enim minus naturaliter Angelus existit in loco, quam homo, & reliqua: non ergo pendet ex miraculosa operatione. Secundo, quia talis actio supernaturalis esset: ergo sine reuelatione, vel aliqua auctoritate diuina affirmari non potest. Tandem in sententia aduersariorum Deus vi potest instrumentum suo tam agendo in distans, quam in propinquum: ergo illa actio non potest esse ratio essendi in loco, quia ratio essendi in loco formaliter est appropinquata loco, & in distans ab illo.

Alij respondent Angelum in cælo Emphyreo non esse ut in loco, quia nihil operatur ibi, habere tamen in cælo Emphyreo suum ubi intrinsecum.

Sed contra manifeste, quia ubi intrinsecum est modus Angeli transcendentaliter relatus ad locum extrinsecum, quia sicut actio est determinatio agentis essentialiter ad terminum productionis, & vno est determinatio rei vniuersalis ad alteram, cui vnitur; ita ubi, seu presentia essentialiter est determinatio rei vbiatæ ad locum; & ideo tale ubi essentialiter est presentia; sed presentia essentialiter respicit locum extrinsecum, & per suam ipsam entitatem constituit rem, in qua est, presentem loco, sicut motus localis constituit rem, in qua est mobilem ab vno loco in alium actu transeuntem ab vno loco in alium & relinquentem vnum, & acquiescentem alium: ergo si Angelus in cælo Emphyreo licet nihil operetur, habet verum intrinsecum ubi, seu intrinsecam presentiam formalem per tale ubi, seu presentiam erit formaliter præsens tali cælo ut loco & erit actu formaliter determinatus ad illum tanquam ad locum per ubi: ergo velis nolis debes concedere, sicut homo est in loco per ubi etiam si non operetur, ita etiam Angelum esse in loco licet nihil efficiat, & ratio manifesta est, quia licet nihil efficiat, gradus operatiuus in Angelo est posterior gradus, per quem conuenit Angelo esse in loco; nam hic gradus vniuersalius est, quam gradus operatiuus, quia per gradum, per quem potest esse in loco conuenit cum materia prima, & aliis entibus non operatiuis, quia tam materia prima, quam Angelus conueniunt in esse præsens, & existentis in loco ut sic: ergo Angelus non est in loco per operationem, sed per formalitatem quandam communem Angelo, & rebus non operatiuis, quod argumentum efficacissimum est, sicut esset efficax contra aliquem asserentem, Angelum durare per intellectionem, & existere solum per volitionem nam in existendo, & durando conuenit cum rebus non

Quaest. IV. De intellectu & voluntate Angelicis. 127

non intelligentibus, & volentibus, & non conuenit per intelligere, & velle: ergo Angelus per aliquid vniuersalius debet durare, & existere, quam est intelligere, & velle. Sicut ergo manifeste conuinceretur, qui diceret, hominem non sentire, nisi per intellectum, & volitionem solum hoc verbo Angelus conuenit in sentiendo cum brutis, & non conuenit cum illis in intelligendo, &c. ergo homo non sentit per intellectum; sic similiter Angelus conuenit in ratione existendi in loco cum materia prima, & aliis rebus non operatiuis, quia omnia haec participant rationem existendi in loco ut sic formaliter, & non conuenit cum illis in operando: ergo Angelus formaliter non est in loco per solam operationem; sed potius per aliquam formalitatem communem ipsi, & omnibus rebus existentibus formaliter in loco, contractum tamen per propriam differentiam ad Angelum, ratione cuius peculiari modo est Angelus in loco eo modo, quo contingit in omnibus formalitatibus communibus.

24 Sed hoc non est aliud, nisi ubi seu praesentia: ergo Angelus est praesens formaliter, & existit in loco per ubi, seu praesentiam, quod euidenter conuenit definitioni ubi seu praesentiae ut sic, quae nihil aliud est, quam ratio formalis ut sic constituendi rem in loco; unde cum habeat formalitatem ubi, seu praesentiae, licet non habeat operationem formaliter res erit in loco; nam in tota definitione operationis nulla est particula, per quam constituitur operatio in ratione formalis ponendi rem in loco: ergo ficticia est talis opinio, & hac euidenti demonstratione nuper posita sine dubio falsitatis aperte conuincitur.

QVÆSTIO IV.

De intellectu, & voluntate Angelica.

1 **P**RIMA conclusio: Angeli sunt intellectuales; haec conclusio est certa de fide, ut patet ex illo loco, [Angeli eorum semper vident faciem Patris,] item illud Psal. 90. aperte hoc declarat, [Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te:] item Regum. 2. c. 14. expresse hoc dicitur, ibi, Sapiens es tu Rex, sicut Angelus Dei, ut intelligas omnia quae sunt super terram. Ratio autem manifesta est, quia Angelus est substantia spiritalis: sed substantia intellectualis est intellectiva, & volitiva ut patet ex dictis libris de anima: ergo Angelus est intellectus, volitivus, & liber.

2 Secunda conclusio: intellectus Angelicus est perfectioris speciei humano intellectu, haec veritas patet primo argumentis positus, libro de anima, agentes de intellectu humano id demonstrauimus.

3 Secundo, quia intellectus, & voluntas sunt proprietates essentiae spiritalis, sed eo est perfectior proprietates quo essentia excellentior existit, ut inductione manifesta patet: ergo essentia Angeli, quae perfectior est essentia hominis, perfectiorem intellectum habebit, quam illa.

4 Tertia conclusio: obiectum adequatum intellectus Angelici in esse rei, seu quod ab ipso attingitur, est ens simpliciter, & in tota sua latitudine sumptum quatenus verum est: haec assertio in omni intellectu creato etiam humano verum habet, ut expresse docet D. Thomas 1. p. q. 54. art. 2. dicens, intelligere, habere pro obiecto verum,

quod conuertitur cum ente, & ideo quantum est de se complectitur omnia, sumit enim intelligere, pro adequata operatione intellectus. Idem autem est obiectum adequatum potentiae, quod est obiectum operationis adequatum illius, quia potentia non nisi media operatione obiectum attingit. Probatur autem ratione, quia intellectus Angeli omnia entia cognoscere potest: ergo omnia continentur sub obiecto adequato eius, quia quidquid cognoscitur à potentia ad eius obiectum pertinet, cum nihil aliud sit actu obiecti, quam cognosci: primum antecedens breui inductione ostenditur; nam quilibet Angelus primo cognoscit seipsum; quia unusquisque Angelus cum sit substantia spiritalis est de se actu intelligibilis, & est maxime coniunctus suo intellectui, & commensuratus illi: ergo maxime potest Angelus seipsum intelligere.

Secundo, vnus Angelus omnes alios à se distinctos directe, ac proprie cognoscere potest; quia omnis Angelus est intelligibilis actu, cum immaterialis sit: ergo quilibet est intelligibilis à quolibet. Probatur consequentia, quia quilibet intellectus est capax omnium intelligibilium actu eiusdem ordinis, quales sunt omnes Angeli.

Tertio, etiam Deus ipse sub obiecto intellectus Angelici continetur, quia certissimum est, Angelos cognoscere Deum, vel naturaliter abstractiua cognitione, vel supernaturaliter intuitiua, ut contingit in Angelis beatis, neutrum autem posset fieri, nisi Deus contineretur sub obiecto adequato intellectus Angelici.

Quarto, Res etiam materiales, tam in genere, quam in specie, & in individuo sub obiecto adequato intellectus Angelici continentur, quia sunt intelligibilia saltem in potentia, ut est per se notum, & non requiritur infinita virtus, ut cognoscantur, cum quilibet talium rerum finita perfectionis sit; unde ex hac parte facilius cognosci possunt, quam res spirituales, quae perfectiores sunt.

Quarta conclusio: Angelus indiget ad intelligendum quicquid à se distinctum proxime, ac directe intelligit, speciebus impressis, ita D. Thomas, & cum eo pene omnes Theologi. Ut autem ratio proponatur, aduertendum est de quo latius libris de anima egimus, commune esse intellectui Angelico cum humano, ut ad intellectiones suas non tantum potentia intellectiua, sed etiam res intellecta aliquomodo cum illo concurrat; ita ut axioma illud Philosophorum [ex obiecto, & potentia patitur notitia] etiam in Angelis locum habeat, trahturque hoc axioma à D. Augustino, lib. 9. de Trinit. cap. 12. ibi [liquido tenendum est, quod omnis res, quaecumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui, ab utroque enim notitia patitur cognoscente, & cognito;] in Deo autem, quia non est intelligere factum, sed intelligere per essentiam, ipsum potius est causa rerum extra Deum intelligibilium quam effectus earum, nihilominus tamen si modo nostro concipiendi ipsum intelligere diuinum per modum actus secundi eliciti ab intellectu concipiatur, etiam intelligitur esse ab obiecto cognito, nimirum ab ipsa essentia diuina ut continente formaliter, vel eminenter, quicquid intelligibile est; quae ut sic est adequatum obiectum actu intelligibile à diuino intellectu: ergo eo modo, quo sine imperfectione, & secundum rationem concipimus intellectiorem diuinam esse ab intellectu diuino cum proportionem concipere debemus esse simul ab obiecto intelligibili primario eiusdem intellectus:

Indubitatum est, non posse Angelum futura contingencia cognoscere in seipsis. Ita docent D. Thomas, & Scholastici, & Patres supponunt. Loquimur hic de futuris; quæ à libero arbitrio pendent, & inueniuntur expresse in scriptura hæc conclusio, vt patet ex illo *Isaia 41.* [annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia *Dij estis vos*] vbi diuinitatis signum esse dicitur proprium quidem ipsius futura cognoscere, supra quæ ait Hieronymus: [frustra ab hominibus queris in terra quod solus Deus nouit in cælis.] Et hinc propheta, per quam hæc futura prædicuntur, est signum certissimum, imo euidentis diuinæ veritatis, & reuelationis, vt ex *1. Corinth. 14.* sumitur.

13 Nihilominus tamen certum est, futura, quæ ex causis naturaliter, & immutabiliter agentibus proueniunt posse per eandem causam ab Angelis certo præsciri vt futura sunt; sic docet D. Thomas, *1. p. q. 57. art. 3.* quia certum est Angelos cognoscere causas naturales & efficaciam earum: ergo illis cognititis ex illis certo scient quid factura sint; item homines sapientes hæc futura certo cognoscunt, vt Astrologus futuram eclipsem, & similia: ergo à fortiori Angelus cognoscit illa.

14 Ratio autem primæ partis conclusionis circa cognitionem futurorum liberorum est, quia cognoscere certo, & euidenter veritatem aliquam non necessariam ex se, nec ex naturali connexionione extremorum & non per medium aliquod, nec per existentiam rei in se visæ, sed sine medio attingendo id, quod nondum est eodem modo, ac si iam esset, indicat profecto sublimem modum cognoscendi proprium Dei, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt; & hoc merito dici potest tanquam notum ex terminis; potestque aliter hoc explicari ex magna difficultate, quam è conuerso habent Theologi in explicando, quomodo Deus veritates talium futurorum, certissime videat: nam licet certum sit, imo & euidenter, Deum præscire hæc futura, modus autem prorsus ignotus est hominibus; & in eo solo quiescimus, quod cum Deus infinitam vim cognoscendi habeat, summamque scientiæ perfectionem, ac plenitudinem immutabilem, & æternam, non potest hæc futura ignorare; nec potuit illa, nisi ex æternitate cognoscere: ergo è contrario sufficiens ratio, cur ab Angelis non cognoscantur ex eo reditur, quod limitata virtutis sunt; & in sua cognitione non æternitate mensurantur.

15 Septima conclusio: Vnus Angelus non potest cognoscere actus liberos, seu secreta cordium, nisi ab habente talem liberum affectum alteri manifestatur, est de fide, traditurque à Paulo *1. Corinth. 14. ibi, si omnes prophetem, & que ad verba illa, Deus in vobis sit;* etiam Regum *8.* dicitur; *solum nostri cor omnium filiorum hominum.* Ratio autem huius veritatis reddenda est ex parte actus primi necessarij ad cognoscendos hos actus liberos voluntatis create; quia nimirum Angeli ex natura sua non sunt sufficienter constituti in actu primo ad eliciendam cognitionem talium actuum, & ideo illos naturaliter cognoscere non potest mens angelica: illatio huius rationis manifesta est. Antecedens autem patet, quia actus primus duo requirit, lumen, seu potentiam, & species ex parte luminis, seu potentie actiue fatemur nihil deesse, vt patet, manifeste in cognitione horum actuum post consensum habentium illos; nam per illum consensum non crescit lumen vel virtus actiue potentie Angelicæ: ergo ex illa parte Angeli erant antea sufficienter constituti, in actu primo ad illam cognitionem; at vero alterum requi-

situm ad completum actum primum, scilicet species potuit in Angelis deesse: ergo dicendum est illis defuisse, & hanc esse rationem ob quam non possunt cognoscere hos actus, nisi illis per loquutionem, vel alio modo manifestentur: hæc vltima consequentia patet, quia ad bonum regimen creaturarum liberarum spectat vt circa proprios actus tale dominium habeant, vt occulti sint omnibus, & solum sint noti ipsis; alias liberi non essent in illis, quia ne cognoscerentur ab aliis solum illos cogerentur elicere, quos possent sine incommodo manifestare; sed non potest obiectum esse occultum alteri, si ille alter habeat virtutem sufficientem, & omnia principia ex parte illius requisita ad tale obiectum cognoscendum: ergo necessario dicendum est aliquod principium huius cognitionis Angelo naturaliter deesse: ergo cum non desit ex parte luminis, necesse est vt ex parte speciei deficiat.

16 Octaua Conclusio: probabilius est, Angelum non discurrere in cognitione naturalium rerum, quas euidenter, & prout in se sunt cognoscit. Probatur conclusio, nam duplex est cognitio euidentis in Angelo, vna abstractiua, alia intuitiua: sed in neutra discurreit: ergo in nulla. Probatur prior pars minoris de abstractiua cognitione; quia illa vel est effectus per causam, vel est causa per effectum; in neutra autem discurreit Angelus, quia in primis quocumque cognoscit causam, & per illam effectum simul cognoscit vtrumque, quia nulla est ratio successione, aut illationis circa cognitionem effectus post cognitionem causæ, si talis est cognitio causæ, vt per illam possit cognosci effectus; quia intellectus Angeli applicatus operatur quantum potest, & non est quid illum impediatur, aut retardet: ergo si tam perfecte cognoscit causam, vt per illam possit cognoscere effectum in eodem instanti, in quo habet cognitionem causæ; transit statim in cognitionem effectus propter suam perfectionem; quia lumen angelici intellectus est excellentissimum, & adæquatam suæ speciei, & ita vno simplici actu elicitio; per talem speciem cognoscit omnem effectum, qui per talem causam euidenter cognosci potest.

17 Alia pars de cognitione intuitiua patet, quia intuitio ex suo genere fit sine discursu; quia in intellectu, in quo est perfecta includit iudicium de re visa, & habet euidentiam veritatis, non ex causa, vel effectui, sed ex eo quod per lumen clarum res ipsa in se videtur: ergo multo magis ita erit in Angelis, in quibus intuitio est valde perfecta, & clara.

18 Nona conclusio, in materia supernaturali & in his omnibus, quæ Angelus non euidenter, sed per coniecturam iudicat vere discurreit; ita docet D. Augustinus *lib. 9. de ciuitate. c. 22.* Ambrosius, *lib. 4. in Lucam;* & Chrysostomus *homilia 13.* & patet, nam in his rebus, quæ Angelus non euidenter cognoscit, quæ ad tria capita reducuntur, scilicet supernaturales res, effectus contingentes futuros, & actus liberos, hæc in quam omnia Angelus potest cognoscere aliquid opinando, & per coniecturam; ergo potest discurrere. Antecedens est manifestum; consequentia vero probatur, quia ibi concurrunt ea, quæ ad discursum necessaria sunt; nam in primis cognoscitur vnum per aliud, scilicet Deum esse hominem per testimonium eius talibus signis confirmatum, vel hoc esse futurum, vel istum esse consensurum, si in hac materia teneatur, quia est hoc, vel illo modo affectus, & similia. Deinde cognoscit vnum ex alio distinctis actibus & iudiciis, quorum vnum fit ex efficacia, & impulsu alterius.

rius; probatur distinctio actuum; quia unus est verus, & alius saepe falsus; unus evidens, vt supponimus, & alius inevidens; vnus necessarius, & alius liber: ergo sunt distincti, quia proprietates adeo distinctae, imo & oppositae non possunt simul eidem actui conuenire: posita vero actuum distinctione causalitas vnus ex alio evidens est, quia tota ratio assentiendi vni obiecto, est assensus alterius, vt dum daemones credunt, & contremiscunt; Ratio credendi est; quia vident miracula, audiunt verba, legunt scripturas, & intelligunt, & ex aliquo testimonio sic cognito euidenter inferunt remita esse, interdum per assensum naturaliter euidentem, adiuncto nimirum hoc principio, quod Deus mentiri non potest, interdum per verisimilem tantum deductionem: ergo nihil ibi deest ad proprietatem discursus.

- 19 Vltima conclusio: In Angelis datur voluntas, & liberum arbitrium, est de fide ex *Psalm. 102.* qui faciunt voluntatem Dei, ex *1. Petri 1.* in quem desiderant Angeli prospicere; Ratio est manifesta; quia ad omnem formam sequitur inclinatio, & appetitus; vnde ad formam naturalem sequitur appetitus naturalis, ad formam apprehensam per sensum sequitur appetitus sensitivus; ad apprehensam per intellectum vniuersalem, sequitur appetitus intellectivus indifferens, qui est voluntas libera: ergo in Angelis, vbi datur forma apprehensa per intellectum, &c. datur vera libertas. Videantur omnes rationes quibus vsi sumus libris de anima ad probandum dari in homine libertatem hae enim à fortiori probant de Angelis.

QVÆSTIO VLTIMA.

De potentia productiua Angelorum.

- 1 Prima conclusio: Angeli non habent virtutem naturalem ad producendam substantiam aliquam, etiam ex subiecta materia; hæc assertio tam unanimi consensu à Theologis recepta est, vt sine magna temeritate in dubium reuocari non possit, quamvis difficile sit efficaci ratione illam persuadere; docet illam D. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2. & reliqui Theologi; eam tradidit D. Leo Papa *epistola 93. ad Turibium*, quatenus cap. 8. damnat Priscillianistas, qui asseriebant, Angelos malos figurare, & efficere corpora humana in vteris mulierum; quæ definitio inuenitur etiam in Concilio Bracaren. 1. can. 12. & canon. 8. eiusdem Concilij, magis autem fauent verba Concilij Ansrani, quæ *romo 1. Concilior. in fine illius Concilij*, & à Gratiano in *capit. 10. Episcop. 26. quest. 5.* referuntur ibi. [De Domino nostro scriptum est, omnia per ipsum facta sunt; quisquis ergo credit, posse fieri, aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, infidelis est.] Denique D. Augustinus multo clarius hanc veritatem docuit *lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 8.*

- 2 Ratione difficile est vt dixi, hanc veritatem demonstrare; sed in primis ostendere possumus hanc potestatem necessariam non esse in vniuerso. Deinde neque ab effectu, vel signo ostendi posse. Tandem neque ex aliquo naturali principio colligi. Primum suadet ratio Durandi quod in rebus naturalibus est virtus sufficiens ad educendas formas de potentia materiae quantum ad gubernationem, & conseruationem vniuersi necessarium est. Secun-

dum probari potest ratione insinuata ab Augustino, quia quidquid ministerio Angelorum bonorum, vel opera malorum, aut verè fit aut fieri apparet, sufficienter fieri potest; applicando agentia corporalia corporibus, ex quibus aliquid fit, vt inferius aliquid de his effectibus tractando magis in particulari dicemus. Tercium probatur, quia nullum est principium ex quo inferre possumus huiusmodi virtutem in Angelis, nisi quia sunt excellentioris naturæ, & perfectionis: hæc autem collectio valida non est, nisi supponatur aliud vniuersale principium quod omnis forma perfectior rem minus perfectam eminenter continet, & illam ideo possit de potentia materiae per se educere; nam sine hoc principio collectio erit ex puris particularibus ac subinde inualida; at vero istud principium manifeste falsum est, vt inductione ostendi potest comparando in ceteris gradibus perfectiores formas ad minus perfectas; vnde probabiliter potest argumentum contrarium retorqueri, quia formæ vegetabilium non continent formas inferioris gradus, vt auri, argenti, & aliorum mineralium vel lapidum, etiam si perfectioris ordinis sint, & c. ergo nec formæ Angelicæ licet altioris gradus sint, continebunt dicto eminenti modo inferiores formas de potentia materiae educibiles.

Ex dictis facile est definire secundum punctum ibi propositum de potentia Angelorum ad immutanda corpora alterationis motus, seu quod pertinet ad producendas materiales qualitates, in quo puncto communis resolutio, ac generalis regula est negatiua, quæ à paritate rationis videtur concludi, non magis habere Angelos potestatem efficiendi qualitates in corporibus, quam educendi formas substantiales ex materia; quia licet forma substantialis materialis ex suo genere perfectior sit quam corporeæ qualitates, & inde non videatur illatio à negatione potestatis ad producendum perfectiorem effectum, ad inferendam impotentiam producendi effectum minus perfectum; nihilominus considerato fundamento illius impotentiae, est satis efficax consequutio, præcipue quia qui producit qualitatem vltimo disponentem ad formam substantialem, producit ipsam formam secundum illud axioma; illius est vltimo disponente ad formam, cuius est producere ipsam; sed Angelus, vt supra probauimus, nullo modo producit formam substantialem; ergo non disponit ad illam.

Vltima conclusio: Vnus Angelus loquitur alteri, excitando illum vt audiat; hæc autem excitatio nõ fit sine aliqua reali actione Angeli loquentis speciem aliquam, vel realem modum eius imprimendo audiendi: expresse tradit hanc conclusionem D. Thomas 1. 2. q. 107. art. 1. ad primum. Ratio est; quia in loquutione Angelica aliqua notitas fit in speciebus eius, ad quem fit loquutio: ergo vel fit à Deo solo ad præsentiam voluntatis, & consensus Angeli loquentis, vel ab ipsomet, qui loquitur concurrente Deo; primum non est verisimile: ergo Angelus loquens est, qui talem excitationem in alio facit, quia Deus relinquit causam secundam agere quidquid est suæ naturæ conueniens, & perfectionem eius non superat, sed actio hæc est valde conueniens naturæ Angelicæ ad suam communicationem, & necessitatem, & non est cur excedat virtutem naturalem Angeli; ergo fit ab ipso Angelo loquente; quod autem non excedat patet manifeste; quia aliter proprie Angelus non loqueretur, sed Deus ad petitionem eius, & Angeli muti essent, hoc autem est contra modum loquendi Scripturæ, &c.